FRANCISCI XAVERII PATRITII

E SOCIETATE IESU

Doctoris Decurialis Collegii Romani Sacris Libris Interpretandis Et Linguae Hebraicae Tradendae

DE EVANGELIIS

LIBRI TRES.

FRIBURGI BRISGOVIAE
LIBRARIA HERDERIANA.
MDCCCLIII.
FACTA A PRAESIDIBUS FACULTATE.

PROOEMIUM

Quum in interpretandis sacris scripturis, quam provinciam multos iam annos obtineo, ita sim versatus, ut potissima studia in evangeliorum commentationem explicationemque conferrem, eum inde fructum percepi, ut ea, quae scribebam, sensim in hoc *συνταγμα* coaluerint, doctorum quorumdam virorum iudicio non plane inutile, proinde neque indignum quod his tribus libris distinctum publicarem. Quae in libro primo, item, etsi non omnia, quae in postremo leguntur, prodierunt iam ex officina lithographica Collegii Romani intra annos MDCCCXXXIX et MDCCCXLV hoc titulo inscripta: *Quaestiones de evangeliis*, et quatuor voluminibus comprehensa, alio tamen ordine aliaque forma, rudiore insuper quam nunc dictione ac stilo, quaedam vero eorum ieiunius, nonnulla ita, ut maior in ipsis cura ac diligentia impensa desideraretur; nec dum enim eas paginas typographi prelo, sed uni scholae destinaveram, quas viva docentis vox, siqua deessent, suppleret. Visum autem est percommode totam operis materiam ita dispertitum iri, ut primus liber, quem *εἰσαγωγικον* propterea voco, ea commonstraret, quae scire oportet de singulis evangeliis horumque auctoribus, de tempore, de consilio, de modo quo edita, deque hominibus, quibus scripta fuerunt, potissimum de similitudine ac discrepantia, quae inter ipsa deprehenditur, deque caussis ex quibus utramque repetamus; alter liber, cui a re quasi nomen est *συναλλακτικῳ*, evangelia ipsa in unum coacta ac veluti inter se contexta exhiberet, additis adnotationibus, quibus ipsius huius compositionis contextusque rationem exposui atque confirmavi; in tertium denique librum, qui ideo *ἐξηγητικος* dicitur, ea congererem, quaecumque sive ad res, de quibus evangelistae loquuntur, sive ad voces ac loquutiones, quas adhibent, explicandas ac difficultatibus expediendas pertinentia conscripseram. Sed, quid in unoquoque horum librorum praestiterim, ipsa singulorum prooemia plenius aperient. Neque plura hoc in loco persequar necesse est sive de tractationis forma ac modo, quippe qui pateat, sive de dictione ac stilo, nisi quod hic non idem sit semper suique similis, sed modo rudior, modo politior, pressus ferme, atque ideo *μονοτονος* plerumque, neque enim alium tum ipsa materies, tum brevitatis amor ac

studium, tum etiam, quidni fatear? expoliendi taedium ferebat. Imo plerumque in graecis ac in hebraicis praesertim vertendis id curavi, ut non modo ipsam sententiam ac sententiae vim, sed et graecae atque hebraicae dictionis modum ac veluti indolem, quam fieri poterat, referrem; quod sine latinitatis dispendio exsequi haud licuit. Adde quod dictionem emendare atque expolire in illud tempus distuleram, quo, his libris typographo iam traditis, typothetarum opus corrigendum haberem; sed, quum huius correctionis curam aliis demandare necesse fuerit, neque illud, quod statueram, praestare potui. Denique illud eos, qui hos libros lecturi sunt, obsecro atque obtestor, ne, quum in aliqua incurrerint, quae minus ipsis probentur, ea continuo reicienda ducant, quin antea ceteros locos perlegerint, in quibus vel eadem de re agitur, vel alia sunt, quae huic lumen adhibere possunt; hunc autem monitum in libri praesertim primi lectione observari cupio quam vehementissime. Unum superest, quod praemoneam; postulat enim reverentia, quam adversus ecclesiae leges profiteor, auctores in hoc opere saepius a me citari eos, quorum libris ex ipsius ecclesiae auctoritate nota inusta est, quos ut ne quis, nisi facta sibi potestate, legat, monitu opus non esse existimo.

FRANCISCI XAVERII PATRITII

E SOCIETATE IESU

Doctoris Decurialis Collegii Romani Sacris Libris Interpretandis Et Linguae Hebraicae Tradendae

DE EVANGELIIS

LIBER PRIMUS QUI EST *ΕΙΣΑΓΩΓΙΚΟΣ*.

FRIBURGI BRISGOVIAE

LIBRARIA HERDERIANA.

MDCCCLII.

LIBER PRIMUS

qui est

ΕΙΣΑΓΩΓΙΚΟΣ

Superiore aetate in magna quaestione esse coepit caussa atque origo illius, quae est inter evangelia, Matthaei praesertim, Marci, et Lucae, similitudinis simul et discrepantiae. Videmus enim unum atque alterum eorum, saepe vero etiam tertium, Christi aliorumque tum facta tum dicta, non modo eadem referre, sed una plane atque eadem loqutione iisdemque verbis, aut non longe aliis; at contra unum omittere, quae ceteri referunt, referre, quae omittunt, modo eodem ordine, modo alio atque alio, aucta, imminuta, immutata, subinde etiam, quae cum ceterorum narratione pugnare videantur. Haec qui ubiter consideret, dubius haereat necesse est, utrum posterioribus evangelistis priorum opus notum fuisse credat, an secus; nam, si primum, unde discrepantia? sin alterum, unde similitudo? Plus tamen momenti discrepantiae inesse putarunt Io. David Michaelis ac secundum hunc bene multi, cur negarent priora evangelia posteriorum scriptoribus, antequam scriberent, innotuisse; quo posito caussa ipsis fuit inquirenda, ex qua similitudinis, quae est inter ipsa evangelia, origo peteretur. Hinc inventa illa virorum eruditorum, quae, partim in Germania, partim in Anglia, non una forma prodiere, quum alii monumentis antea conscriptis, alii evangelio quodam primitivo, alii hoc ipso evangelio e syrochaldaico in graecum sermonem converso, alii denique narrationibus, quae, non quidem scripto, conceptis tamen verbis ac certis veluti formulis ferebantur, evangelistas usos esse affirmarunt. Haec si plenius cognoscere vacat ac lubet, presto est opus Ioannis Leonhardi Hugi, qui omnia fuse recensuit, planeque refutavit [1]). Verum his commentis explodendis non alia refutatione opus esse arbitramur, quam ut, iis praecognitis, quae tum de evangeliorum auctoribus, tum de consilio, quo ducti sunt, tum de iis, quibus scripsere, vetustas atque adeo evangelia ipsa attente perlecta nos docent, eadem ipsa haec evangelia inter se conferamus. Fieri enim haud poterit, quin hac comparatione sedulo atque adcurate perfecta, non similitudinis modo, sed et discrepantiae caussae ac rationes pateant adeo aperte, adeo manifeste, ut tota hac in re nil magis mirum occurrat, quam quod ipsa tam mira videri potuerit viris ab eruditione clarissimis, ut ad illarum opinionum commenta delabi haud vererentur. Quum autem ad haec, quae dixi, demonstranda et confirmanda hic liber pertineat potissimum, non illud a me postulandum est aut exspectandum, ut plenam absolutamque εἰσαγωγὴν ad evangelia, plurimarum, quae in dies prodeunt, numerum aucturam, tradere studeam, sed ea dumtaxat, quae consilio inito conducant, in quorum pleraque fortasse non satis hactenus consideratio ab omnibus intenta est. Itaque iam de singulis evangeliis ordine dicamus.

CAPUT I

De evangelio Matthaei.

Materiam hanc distinctis quaestionibus tractabimus, ac primum ea quaeremus, quae de Matthaeo ipso in sacris libris memoriae prodita sunt, an idem ac Levi, an auctor sit primi evangelii, tum quo tempore evangelium suum composuerit, deinde quorsum et quibus, ad haec qua lingua scripserit,

---

[1]) Einleit. in die Schrift. des N. T. II Th. §§ 18—22.

utrum ex hebraicis an ex graecis codicibus locos bibliorum exscripserit, num deinque evangelia Hebraeorum, Nazaraeorum, Ebionitarum, sint ipsum Matthaei evangelium syrochaldaicum, postremo an ratione faciant, qui prima duo evangelii capita Matthaeo abiudicant.

QUAESTIO I

De Matthaeo. An idem sit ac Levi.

1 Matthaeus, quo solum nomine ipse se vocat [1]), a Marco et a Luca tum *Matthaeus* [2]), tum *Levi* [3]) vocatus, Alphaei filius [4]), ideoque ab omnibus Graecis recentioribus [5]) creditus frater Iacobi, qui et *Iacobus Alphaei* dicitur [6]), publicanum agebat Capharnaumi, quum eum Christus sibi adiunxit [7]). Qui de eius rebus gestis plura nosse desiderat, adeat eos, qui de historia ecclesiastica deque ecclesiasticis scriptoribus libros ediderunt.

2 Seriem rerum, quae in Matth. IX, 1—13, in Marc. II, 1—17, et in Luc. V, 17—32 narrantur, si non prorsus oscitanter legeris, easque inter se comparaveris, vix putabis reperiri potuisse, qui suspicarentur eum, quem Marcus [8]) et Lucas [9]) *Levim* vocarunt, alium esse ipso Matthaeo [10]). Neque fuerunt, qui rem hanc in dubium revocarent, ante Hugonem Grotium [11]), si Photium fortasse excipias [12]) et alterum e duobus graecis laterculis apostolorum album exhibentibus, quae edidit Cotelerius [13]). Photius enim ita loquitur: *Quaeri ergo debet an unus et idem sit publicanus apud tres evangelistas, qui et Matthaeus et Levis vocatur. Duo erant publicani in numero duodecim apostolorum.* In laterculo autem illo haec de Thaddaeo scripta leguntur: *Hic a Matthaeo Lebbaeus vocatur, a Luca vero Iudas Iacobi, a Marco autem Levis sedens ad telonium.* Haec quoque in illius fine leguntur: *Publicani Matthaeus, Iacobus, et Iudas. Matthaeus dicit se appellatum fuisse nomine publicani. Marcus autem Iacobum Alphaei commemorat. Lucas vero in capitulo XXXVIII Levin, quomodo etiam nuncupat Marcus; in capitulo autem XLVIII Iudam Iacobi.*

3 At, quae dicemus, diligenter considera. Iacobum quidem Alphaei publicanum egisse scripsit etiam Chrysostomus [14]), quamvis Levim a Marco et Luca commemoratum Matthaeum esse crederet [15]). Cui tamen opinioni, ut animadvertit etiam Victor Antiochenus in commentario de evangelio Marci [16]), originem dedisse putanda est codicum discrepantia, quorum nonnulli, hosque inter graeca et latina pugina codicis cantabrigensis, codicesque latini vercellensis sancti Eusebii, veronensis [17]), colbertinus, sangermanensis, corbeiensis [18]) in Marc. II, 14 pro *Levi Alphaei* habent *Iacobum Alphaei*. Quin etiam ex eo haec opinio incrementa accepit, quod Matthaeus et Iacobus fratres fuisse ex eodem patris nomine crediti sunt (1).

4 Ex Photii verbis apparet sensisse ipsum, quod et Chrysostomus sensit, Iacobum Alphaei aeque ac Matthaeum publicanum fuisse, non tamen liquet sensisse quoque Iacobum hunc eumdem esse ac Levim; suspicionem quippe in se commovent haec verba, tum quia mutilam sententiam videntur exhibere, tum quia extra locum suum posita sunt, non enim pertinent ad vers. 17, post quem comparent, sed ad vers. 14. Iuvabit praeterea tum haec, tum Victoris Antiocheni commentarium de versiculo 14, ut in illa *Catena* est, conferre cum eodem Victoris commentario, ut hunc edidit Cotelerius [19]).

5 Quod adtinet ad laterculum apostolorum, primo mirari subit scriptoris ἀκρισίαν, qui, ut duos publicanos praeter Matthaeum extundat, Iacobum Alphaei et Levim, contestatur unum idemque Marci caput [20]), atque de duabus discrepantibus huius capitis scriptionibus utramque recipit. Cur vero *Lebbaeus* in graecis Matthaei codicibus memoratus [21]) illi scriptori idem sit ac *Levi* memoratus a Marco et a Luca, in caussa esse videtur quaedam utriusque nominis quamquam non sane proxima ἀναλογία, quae forte etiam Millium commovit, ut contenderet demonstrare haec duo esse unum idemque Matthaei cognomen [22]). Laterculo autem putabit fortasse quis Theodoretum suffragari; qui enim in quaestione XVI de libro Numerorum, ut eam exhibent graeca Theodoreti exemplaria [23]),

---

[1]) Matth. IX, 9; X, 3. [2]) Marc. III, 18; Luc. VI, 15; Act. I, 13. [3]) Marc. II, 14; Luc. V, 27. 29. [4]) Marc. ib. et Luc. V, 27 in cod. cantabrig. latin. [5]) *Bolland.* ad 1 Maii p. 19. [6]) Matth. X, 3; Marc. III, 18; Luc. VI, 15; Act. I, 13. [7]) Matth. IX, 9; Marc. II, 14; Luc. V, 27. [8]) Marc. II, 14. [9]) Luc. V, 27. 29. [10]) Matth. IX, 9. [11]) In Matth. IX, 9. [12]) In Catena patrum graecorum a *Possino* edita ad Marc. II, 17. [13]) Not. ad Constitut. apostol. L. II. c. 63 ex regio ms. 1007. [14]) In Matth. X, 5 hom. XXXII al. XXXIII. § 3. [15]) Ib. IX, 9 hom. XXX al. XXXI. § 1. [16]) Apud *Cotelerium* in not. ad Constitut. apostol. L. VIII. c. 22. [17]) Apud *Bianchini* Evangel. quadrupl. [18]) Apud *Sabatier* Bibliorum sacrorum latin. version. antiq. [19]) L. c. [20]) Marc. II, 14. [21]) Matth. X, 3. [22]) Prolegg. p. 42 et ad Matth. X, 3 et Marc. III, 18. [23]) Parisiis 1558.

Θαδδαιος ὁ και Λεβι vocator, in exemplaribus aliis [1]) *Θαδδαιος ὁ και Λεββαιος* nomen habet. Attamen *Levi* a Marco et a Luca commemoratus alius omnino habendus est *Lebbaeo*, cuius meminit Matthaeus, ille quippe *Matthaeus* ipse est, hic vero *Thaddaeus*, qui et *Iudas* nomen habet, Iacobi filios [2]).

6 Primo enim nulli sunt Novi Testamenti codices sive graeci, sive latini, sive alia lingua, neque patres ulli, qui *Levim* pro *Lebbaeo* aut hunc pro illo nominent, excepto fortasse Heracleone haeretico Valentiniano, de quo paullo infra. Quod enim modo ex Theodoreto depromptum est, liquet nullius esse momenti, tum quia *Λεβι*, non autem *Λευι*, in eo legitur, quarum literarum discrimen etsi Graeci negligant in nominibus exoticis, novi tamen testamenti codices patresque omnes nunquam *Λεβι* pro *Λευι* scriptum habent, tum quia *Λεβι* minus quam *Λευι* discrepat a *Λεββαιος*, tum denique potissimum quia indubiom est Theodoretum non utraque illa ratione, sed alterntra tantum, hoc nomen in ea quaestione usurpasse. De Origene vero [3]) brevi (10) dicemus. Potissima autem ratio habenda est orientalium interpretum, qui hoc utriusque nominis discrimen recte atque constanter expresserunt, et in quorum linguis non ea est illarum literarum vicissitudo, quae in graeca, illorum vero nominum *ἔτυμα* diversam omnino habent notionem.

7 Ceterum *Lebbaeum* aliud Thaddaei apostoli nomen esse dubitare non est. Id enim nos docent graeci codices Matthaei, ubi apostolos enumerant [4]), in quibus sic legimus: *Λεββαιος ὁ ἐπικληθεις Θαδδαιος*, et quibus consonat latinus codex brixiensis vetustissimus [5]). Quod vero Millius vincere conatur [6]) verba *Λεββαιος ὁ ἐπικληθεις* esse scholion margini adscriptum ad nomen Matthaei, quod errore scribarum in ipsum evangelium fuerit receptum additumque nomini Thaddaei, id nulli argumento innititur, et codicibus graecis omnibus ac patribus atque interpretibus universis, si vulgatum dempseris, adversatur. Etenim nullus, praeter vulgatum, interpres est, nullus codex graecus, a quo haec absint, si unum demas codicem cantabrigiensem, qui tamen Millio minime opitulatur, tum enim in graeca tum in latina huius pagina *Lebbaei* nomen, non autem Thaddaei, legitur. Sed et codices latini fuere, qui in Matth. X, 3 pro Thaddaeo *Lebbaeum* olim praeferebant. Hieronymus enim locum hunc Matthaei, ut latine legitur, enarrans, teste ipso Millio, scribit: Thaddaeus *alibi*, id est in aliis latinis codicibus, *appellatur Lebbaeus* [7]), et in libro de *Nominibus hebraicis*, ubi nomina collegit, quae in Matthaeo reperiuntur, *Thaddaeum* quidem minime posuit, posuit vero atque interpretatus est *Lebbaeum*. Augustinus item [8]) ait nonnullos codices Matthaei, latinos intellige, hos enim adhibebat, pro Thaddaeo habere *Lebbaeum*. Missos facio graecos patres Origenem [9]), Chrysostomum [10]), Theodoretum [11]), anonymum apud Possinum [12]), unum et alterum laterculum apostolorum apud Cotelerium [13]), aliosque, qui nullum Lebbaeum agnoscunt praeter Thaddaeum. Id vero, quod opponit Millius [14]), verba *Λεββαιος ὁ ἐπικληθεις* abesse a Marci evangelio, tantum ipsum iuvat, quantum, si vincere vellet Iudam quoque Iacobi a Luca nominatum [15]) alium esse Thaddaeo, eo iuvaretur, quod Marcus neque hoc alterum Thaddaei nomen retulerit. Tum graeca ac latina pagina codicis cantabrigensis codicesque latini corbeiensis [16]), vercellensis, veronensis, vindobonensis [17]) in Marci evangelio habent *Lebbaeum*, non autem *Thaddaeum*.

8 Nunc veniam ad Grotii argumenta, quorum primum sic est: *Neque Matthaeus usquam se Levin vocat, neque Marcus et Lucas Levin Matthaeum nominant, neque in recensione apostolorum Matthaeum alio quam Matthaei vocant nomine, quum alios cognomentis suis indigitent.* At neque Paulus usquam *Saulum* se, neque Petrus *Cepham* aut *Bariona*, neque Iudas *Thaddaeum* aut *Lebbaeum*, in suis epistolis se unquam vocaverunt. Marcus autem et Lucas Matthaeum nomine *Levi* denotarunt, ubi pristinam eius conditionem commemorare necesse erat, quamquam *Matthaeum* dixerint in albo apostolorum edendo, idque propter eam caussam, quam infra (12) dicemus. Neque in illo albo cognomina adscripsere, nisi aut iis, quos ab aliis eodem nomine vocatis distinguere oportebat, aut quae Christus ipse eorum nonnullis imposuerat [18]). Ceterum de hac re iterum sermo erit (12).

9 Alterum argumentum depromit Grotius ex verbis Heracleonis haeretici Valentiniani, qui *Levin* a Matthaeo aperte secernit [19]). At haeretici Valentiniani *κρισις*, quod ad scripturas adtinet, viderit Grotius quanti facienda sit. Tum Heracleon unicus ille est, ut iam diximus (6), qui forte scripsit

---

1) Edit. *Sirmondi* graec. lat. Lutetiae 1642. 2) Matth. X, 3; Marc. III, 18; Luc. VI, 16; Io. XIV, 22; Act. I, 13. 3) Cont. Cels. L. I. §. 62. 4) Matth. X, 3. 5) Ap. *Bianchini* op. cit. 6) Prolegg. p. 42. 7) In Matth. X, 4. 8) De consensu evangelist. L. II. § 70. 9) Praef. explanationis Epist. ad Roman. interprete Ruffino. 10) In Matth. X, 3 hom. XXXII al. XXXIII. § 3. 11) L. c. edit. *Sirmondi*. 12) Catena patrum graecor. in Marc. III, 18. 13) Not. ad Constitut. apostol. L. II. c. 63 ex regiis mss. 1007. 1026. 1789. 14) In Matth. X, 3. 15) Luc. VI, 16. 16) Apud *Sabatier* op. cit. 17) Apud *Bianchini* op. cit. 18) Marc. III, 16. 17; Luc. VI, 14. 19) Apud *Clem. Alexandr.* Stromat. L. IV. § 9.

Λευις pro *Λεβι* aut *Λεββαιος*, ut Cotelerius quoque automat [1]. Quid, qood nomini *Λευις* in autiquo codice adscriptum legitur *του Θαδδαιου* [2]? Falso insuper uit Grotius ita Clementem Alexandriuum ea referre, quae Heracleou scripsit de Matthaeo et Levi, *ut, quod dicitur, non obscure approbet.* Clemens quippe dicit solummodo sibi ea probari, quae Heracleou disputat; at baec aliud omnino sunt, quam discrimen inter Matthaeum et Levim.

10 Deuique Origenis verha profert Grotius, quae sic sunt: *Ἐστω δε και ὁ Λεβης τελωνης ἀκολουθησας τῳ Ἰησου. ἀλλ' οὐτε γε του ἀριθμου των ἀποστολων αὐτου ἠν, εἰ μη κατα τινα των ἀντιγραφων του κατα Μαρκου εὐαγγελιου. Esto autem et Lebes publicanus Iesum sequutus, at non e numero apostolorum eius erat, uisi in quibusdam exemplaribus evangelii secundum Marcum* [3]. Verum adteude, ut ab Origene, non *Λεβις*, ut falso refert Grotius, sed *Λεβης* scriptum sit. Deinde non dicitur *Λεβης ὁ τελωνης* (*il publicano*), ut dici debuisset, si loqueretur Origenes de Levi illo omnibus cognito, coius meutio est in Marc. II, 14 et in Luc. V, 27. 29, sed *Λεβης τελωνης* (*un publicano*), id est *alius* praeter Matthaeum *publicanus*. Adde, quod Origenes Matthaeum et Levim *eumdem prorsus hominem esse videatur sentire in praefatione explanationis in epistolam ad Romanos* [4]; imo id aperte loqui dicendus est in illa praefatioue, uti etiam in commentariis de Matthaeo [5], aperte insuper distinguens *Levim* a *Lebbaeo*, quorum primum Matthaeum esse dicit, alterum Thaddaeum [6]. Neque ea, quae narrat de quibusdam Marci exemplaribus, ad Marci II, 14, ubi de Levi publicano agitur, pertinere possunt, tum propter caussam illam modo dictam, tum quia, non solum quaedam Marci exemplaria, sed omnia iusuper exemplaria Lucae illum ita oomiuant, tum demum quia expresse ait [7], quem *Marcus* et Lucas alio nomine vocant, esse ipsum Matthaeum; pertiuent itaque ad Marci III, 18, ubi *numerum apostolorum* recenset Marcus, et ubi pro *Θαδδαιος exemplaria quaedam* babent *Λεββαιος*, quod a nomine *Λεβης* non nimis abhorret, ac fieri potuit, ot in nonnullis horum exemplarium huic nomini adscriptum esset *ὁ τελωνης publicanus*, pro quorumdam opinione (2) putantium Thaddaeum publicanum egisse. Deuique maufestum est Origenem ita loqui ex concessioue, ut Celsum refellat plures publicanos inter apostolos comminiscentem; qoare, si velis huuc *Lebem* esse ipsum Levim, sententia Origenis talis foret, ac si dixisset: Sit utique Levis alius publicanus, alius, inqoam, Matthaeo; at, si ita foret, non habendus esset in nomero apostolorum.

QUAESTIO II

An Matthaeus auctor sit evangelii eius nomine inscripti.

11 Matthaeum omnium evangelistarum primum utilitati et commodo Hebraeorum atqoe hebraica, id est syrochalduica lingua evangelium scripsisse, una totius prorsus uotiquitatis sententia est. At graecum evaugelii exemplar, quod Matthaei nomine inscriptum superest, ea nobis praebet iodicia, quae huic *πατροπαραδοσει* belle respondent, coufirmantque Matthaeum huius evangelii auctorem esse, hoc ipsum autem evangelium omnium primum, inque osum et commodum Hebraeorum, et lingua syrochaldaica fuisse couscriptum. Dubitare ergo non est evaugelium hoc *γνησιον* esse Matthaei ipsius opus.

12 Quod omnium primum, iuque Iudaeorum usum, et syrochaldaica lingua conscriptum fuerit, id inferius evincemus. Nunc ea solum indicia in eo quaeramus, quae Matthaeum auctorem produnt. Itaque Marcus et Lucas, ubi de Matthaeo adhuc publicano scribunt, nomine minus noto *Levim* illum vocant (2), vocant autem *Matthaeum* notiore nomine, ubi inter apostolos eum recensent [8], ea ferme ratione, qua Paulus, quem *Petrum* vocaverat [9], mox, ubi de illo minore cum laude loquendum ipsi est, obscuriore nomine *Cepham* dixit [10]. Ast huius evangelii auctor de Matthaeo scribens, non modo in apostolis recensendis [11], set et ubi illum publicanum egisse narrat, non alium quam *Matthaeum* vocat; quin etiam in ipso albo apostolorum huius nomini *publicani* appellationem adiungit, quamquam nemini ceterorum simile quid fecerit, excepto Iuda Iscariote, cui *proditoris* ootam inurit. Quorum omnium caussam post Eusebium [12] aperuit Hieronymus: *Ceteri evangelistae propter verecundiam et honorem Matthaei noluerunt eum nomine appellare vulgato*, ubi eum publicanum adhuo agentem

[1]) Not. ad Constitut. apostol. L. II. c. 63. [2]) In marg. oper. *Irenaei* ed. *Massuet.* p. 362. [3]) Cont. Cels. L. I. § 62. [4]) *Carolus Delarue* not. ad *Origenem* cont. Celsum L. I. § 62. [5]) Apud *Possinum* Catena patrum graecorum ad Matth. IX, 9. [6]) Praef. Commentar. de ep. ad Rom. interprete Ruffino. [7]) Apud *Possinum* l. c. [8]) Marc. III, 18; Luc. VI, 15. [9]) Galat. II, 7. 8. [10]) Ib. 9. 11. 14. [11]) Matth. X, 3. [12]) De Theophania fragm. IV in *Angeli Mai* Scriptorum vet. nova coll. T. I. p. 117.

inducunt, *sed dixerunt Levi; duplici quippe vocabulo fuit. Ipse autem Matthaeus, secundum illud, quod dicitur a Salomone: Iustus accusator est sui in principio sermonis, et in alio loco: Dic tu peccata tua, ut iustificeris, Matthaeum se et publicanum nominat* [1]. Hieronymo adsentiunt Chrysostomus [2] et Victor Antiochenus (3. 4). Neque illud te fugiat, quod, quum Marcus [3] et Lucas [4] narrent convivium Christo adparatum ab ipso Levi, in hoc evangelio id quidem narratur, sed tacito convivatoris nomine [5], quod eamdem scriptoris ipsius, Matthaei inquam, modestiam prodit.

13 Aliud argumentum suggerit Eusebius ex ipso Matthaei evangelio depromptum [6], ubi is apostolos recensens se post Thomam nominavit, qua de re ita Eusebius: *Itaque Matthaeus ..... secundo loco post aequalem suum se nominavit. Cum enim singuli singulis comparentur, ipse Matthaeus Thomae, Petrus Andreae, Iacobus Ioanni, Philippus Bartholomaeo, Thomam sibi ipsi praeponit, priorem illi locum, quamvis coapostolo, tanquam honoratiori tribuens, tametsi reliqui evangelistae contrarium faciunt. Audi itaque Lucam, ut Matthaei mentionem faciens, non publicanum dicit neque post Thomam collocat, sed, praestantiorem illum cognoscens, priorem quoque nominat, Thomam illi secundo loco subiungens, quod ipsum Marcus quoque servavit ..... Sic Matthaeum Lucas anteponit, quemadmodum ipsi tradiderant, qui ab initio ipsi viderant et ministri fuerant sermonis* [7].

14 Minime autem praeteribo, quod animadvertit I. Greppo. *Iesus, quum Iudaei quaestionem hanc ei proposuissent: Licet censum dare Caesari, an non* [8]*? primum nil respondit nisi haec: Ostendite mihi numisma census* [9]. *Vocabulum hoc sane notabile*, NUMISMA CENSUS, *neque apud Marcum legitur, neque apud Lucam. At Matthaeus publicani muniis perfunctus fuerat, atque adeo prioris sui muneris recordationi debetur fortasse proprietas haec loquutionis* [10], sicut etiam mentio didrachmatis, atque adeo ipsa narratio, in qua mentio haec habetur, quaeque legitur in Matth. XVII, 24—27.

QUAESTIO III

Quando Matthaeus scripserit.

15 Duo nunc in quaestionem veniunt, quonam rei christianae anno Matthaeus evangelium ediderit, et utrum prius an post quam alia prodierant.

16 Priori quaestioni non leves insunt difficultates, deficientibus historiae monumentis, ac veterum scriptorum sententiis inter tertium atque inter decimum annum a morte Christi, id est intra octo annorum spatium fluctuantibus. Missum enim in praesenti facio Irenaeum [11], de quo, si vacat, lege quae adnotarunt Massuet [12], Valesius [13], et Tillemont [14], sed et quae nos dicemus de evangelio Marci disserentes [15]. Quum autem Christus, ut prisca ac mihi quidem certa sententia est, in crucem actus fuerit anno U. C. DCCLXXXII sive aerae vulgaris XXIX, tempus, quo Matthaeus scripsit, definiendum foret inter annos aerae vulgaris XXXII et XXXIX. Attamen aliis quoque argumentis hoc ipsum demonstrari posse videtur, neque citius, neque serius hoc temporis spatio evangelium istud fuisse exaratum.

17 Non citius, inquam, anno tertio a morte Christi, qui fuit aerae vulgaris XXXII, quia, quum huiusmodi scripta non prius ecclesiae necessaria coeperint esse, quam viva apostolorum voce haec destitueretur, scriptaque illa apostolorum ipsorum vicem supplerent, minus verisimile fit primis ipsis rei christianae diebus eos scribere coepisse, eo, inquam, tempore, quo de prima ipsa ecclesiae universae constitutione solliciti erant. Tum in ipso evangelio Matthaei quaedam legentibus occurrunt, quae credere suadent non exiguum admodum tempus interiectum inter obitum Christi atque inter huius libri editionem [16].

18 Non tamen illud tempus ultra decimum annum a Christi morte atque aerae vulgaris XXXIX effluxisse videtur. Ut patres una sententia memoriae prodiderunt, nosque infra demonstrabimus, Matthaeus Iudaeis evangelium inscripsit, imo et propria Iudaeorum lingua hoc edidit. Eo autem confirmatur illud, quod iidem hi patres narrant, scripsisse Matthaeum ante, quam e Iudaea proficisceretur, quandoquidem solis Iudaeis Palaestinam incolentibus tale opus utile esse posset. At est,

---

[1] In Matth. IX, 9. [2] In Matth. IX, 9 hom. XXX al. XXXI. § 1. [3] Marc. II, 15. [4] Luc. V, 29. [5] Matth. IX, 10. [6] Matth. X, 3. [7] Dem. ev. L. III. § 15. p. 120. Conf. Marc. III, 18; Luc. VI, 15. [8] Matth. XXII, 17. [9] Ib. 19. [10] Esquisse de l'hist. de la monnaie chez les Hébr. p. 51. [11] Haeres. L. III. c. 1. § 1. [12] Ad h. l. [13] Ad *Euseb.* H. E. L. V. c. 8. [14] Notes sur st. Matthieu n. 5. [15] Cap. II. nn. 15 seqq. [16] Matth. XXVII, 8; XXVIII, 15.

cur Matthaeus putetur non ultra illam annum in Iudaea fuisse commoratus. Non enim serius illo anno Paulus, postquam Christianis se adiunxerat, primo Hierosolymam venire potuit, ut autem venit, ab ea urbe Matthaeus dicendus est iam abfuisse [1]. Quod autem non serius illo aerae vulgaris anno XXXIX saltem extremo primum hoc iter fecerit Paulus, ex eo colligimus, quod inter hoc primum atque alterum, quum denuo illuc ivit [2], brevius spatium quam anni dimidiati supra biennium intercedere non potuerit, quantum ex libro Actuum comperimus [3]. Sed iter istud alterum a Paulo susceptum est circa pascha illud, quo Herodes Agrippa Petrum in vincula coniecit [4], quodque, sicut in alio loco [5] demonstravimus, aliud esse nequit, quam pascha anni aerae vulgaris XLII. Huius itaque anni pascha est, sub quod Paulus iterum Hierosolymam ivit. Igitur primo illuc non serius iverat, quam postremis mensibus anni aerae vulgaris XXXIX, ideoque Matthaei evangelium videtur non serius hoc ipso anno XXXIX edi potuisse. Ceterum aliae insuper rationes sunt, quae nos cogunt credere Paulum, postquam Christianus factus est, primo Hierosolymam venisse, etsi non ante annum aerae vulg. XXXIV [6], non tamen serius anno XXXVII, easque, si Deus dabit, in alio loco exponemus. Hoc autem posito ex nostro ratiocinatione consequeretur nec serius hoc anno Matthaei evangelium editum esse.

19 At nullam ferme habet difficultatem altera quaestio, an Matthaeus ante ceteros scripserit evangelium. Tota quippe antiquitas a prima ecclesiae aetate sensit ante tria reliqua hoc evangelium prodiisse. Id vero vel ipsa evangeliorum inspectio atque unius cum ceteris instituta collatio mirum in modum confirmat. Etenim ex hac inspectione et collatione evincemus Ioannem omnium postremum [7], Lucam vero, haudquaquam omnium primum [8], imo post Matthaeum et Marcum [9] scripsisse. Primus itaque vel Matthaeus fuit, vel Marcus. At, si utrumque inter se compares, nullo negotio perspicies horum alterum, quum scriberet, alterius opus ante oculos habuisse, ita tamen, ut facile etiam animadvertas, quae in Marco leguntur, aliquantum magis subinde expolita ac plenius plerumque relata, magisque, quod apparet Marcum et Lucam comparantibus, secundum temporum ordinem digesta esse, quod sapit omnino manum illius, qui, quum ex Matthaeo narrationes aut sermones transcribit, supplet simul ea, quae iis desunt, resque narratas melius ordinare studet, hoc enim ex parte fuit Marci consilium, simulque dictionem cultiore aliquotenus stilo emendat interdum, atque exornat. Etenim, si contra foret, ut sive Matthaeus, sive is, qui Matthaeum graece vertit, Marcum exscripsisset, dicendus is esset, dum hoc ageret, data opera politiorem Marci dictionem minus politam efficere, ipseque Matthaeus veriorem rerum ordinem voluisse pervertere; neque enim dici potest longiorem loquutionem compendii fecisse, quum non raro pluribus verbis pauciora dicat, quam Marcus. Tum vix verisimile est Matthaeum testem oculatum gestorum Christi ex Marco, qui testis auritus fuit, historias decerpsisse. Sed haec apertius patebunt, ubi de aetate disputabimus, qua cetera evangelia scripta fuere.

20 Dices fortasse, argumentum illud depromptum simul ex similitudine verborum et loquutionum utriusque evangelii, simulque ex politiore stilo Marci, per se ipsum nihil valere. Quum enim Matthaeus scripserit syrochaldaice, fieri utique potuit, ut is quidem in hanc linguam Marcum, verbum de verbo exprimens, interdum verteret, ei vero, qui Matthaeum in graecum transferebat nec opinanti occideret, ut modo ipsa graeca verba restitueret, quae Matthaeus fecerat syrochaldaica, modo aliquantum deteriora. Verum, si attendas, quam saepe fiat, ut prorsus eadem sint in utroque evangelio, senties, arbitror, ut longe difficilius id accidere potuerit, si, quod ais, verum foret, quam si tum Marcus, sicut ipsi contendimus, tum graecus Matthaei interpres, ex eodem illo exemplari syrochaldaico suo transtulerint; non enim alter ex uno, ex altero tertius, quae tua foret sententia, sed ambo ex uno transtulere.

QUAESTIO IV

Quorsum et quibus scripserit Matthaeus.

21 Matthaeum Iudaeis, qui in Christianis nomen professi fuerant, evangelium suum destinasse, uti iam diximus (11), uno voce ac nomine contra dicente veteres tradiderunt; quae vero disserunt de Matthaei opus hoc aggredientis consilio, ad id revocantur, voluisse Matthaeum Iudaeis demonstrare

---

[1]) Conf. et expende Act. IX. 26—28 cum Gal. I, 18. 19. [2]) Act. XI, 30. [3]) Conf. Act. IX—XI, praesertim IX. 32. 43 et XI, 25. 26. [4]) Act. XII, 1—4. [5]) Cap. II. nn. 27 seqq. [6]) Cap. II. n. 47. [7]) Cap. IV. quaest. IV et V. [8]) L. III. diss. I. n. 28. [9]) Cap. III. q. II.

Iesom esse Messiam illum, quem exspectabant. Utrumqoe tamen aliis qooque argumeotis praeter testimonia antiquitatis coofirmatur.

§ I

De Matthaei consilio.

22 Primo, si hoc evaogelium cum ceteris contoleris, imo si ipsom vel solum non prorsus oscitanter legeris, coutiuuo haec duo videas, plurimas ex rebus Christi gestis a Matthaeo omissas fuisse, in ceteris vero referendis uequaquam temporum ordinem fuisse observatum. Ut enim plura alia sileutio praeteream, ubinam a Matthaeo scriptas babes historias vel de ortu Christi, vel de iis, quae ab infautia ad annum tricesimum gessit, vel de eios adsceasu io caelum? Praeterea iuducit Christum praedicentem postremum iter suom Hierosolymam [1]) longe post, quam boo iter descripserat [2]). Narrat Christum statim, ac res suas gestas Herodi compertas esse rescivit, alio seecessisse [3]) *in navicula*, quum tamen ex serie uarratiouis videatur moratus adbuc fuisse Nazarethi [4]), quae iu moutibus mediterraneis sita est. Confer quoque Matth. IV, 1—11. 12 cum In. I, 35—III, 23. 24; Matth. XXVI, 2. 6—13 cum Io. XII, 1—8. Iam facta baec sive factorum seriem ignorasse Mattbaeum ne suspicari qoidem possumus, tum quod apostolus esset, id est testis eorum, quae a Christo gesta fueraut, tum quia evaugelium scribendi monus non suscepisset uisi is, qui plenam rerum narraudarum notitiam haberet.

23 Quid ergo de his dicamus? Fueruut, qui veriti, ue haec putarentur in discrimen adducere veritatem evangelii, diversas inireut rationes, quibus evincerent vel oullam in eo esse factorum ὑστερολογίαν, vel Christum bis eadem egisse aut loquotum esse, vel narrationum ordinem incuria librariorum fuisse torbatum. Quarum tamen rationum ueque una est, quae non plane refellatur vel consideratioue ipsa locorum, quos indicavimos. Sed ueque huiusmodi rationibus opus est, quasi si quidquam fidei bistoriae deperiret propter ὑστερολογίαν illam, quum contrario eadem haec ipsa demonstret Mattbaeo neqoaquam propositum fuisse historiam conscribere. Matthaei itaque opus oon ἱστορικὸν est, sed ἐλεγκτικόν, eoque tendit, quo diximus, ut Iudaeis probet Iesum esse Messiam.

24 Id tamen satis clare adparet librum ipsom legentibus imo vel aperieutibus, ex ipso, inquam, initio, quod sic est: *Liber generationis Iesu Christi filii David* [5]). Ratio enim potissima, qua Iodaeis illa aetate boo probari poterat, ea erat, ut quis primo demonstraret Iesum esse filium Davidis, tum vero, quae de Messia prophetae praedixerant, ea Christum implevisse. Hauc aotem ipsam rationem mauifestum est Matthaeum sequutum esse.

25 Etenim Iesum Davide fuisse prognatum primum est, quod probare instituit eius prosapiam recenseus [6]), tum vero narrando, obi id ferl occasio, Iesum habitum fuisse filium Davidis, non modo Capharnaumi [7]), qoo postremis vitae suae annis domicilium habuit, sed et in reliqua Galilaea [8]), et in Iudaea [9]), et Hierosolymis [10]), et ab ipsis Hierosolymitarum pueris [11]); quiu et in finitimas gentes buius rei notitiam permeasse [12]).

26 Huuc vero Iesom, quem filium Davidis esse comprobavit, Messiam ipsom esse eo demoostrat, quod vaticinia prophetarum impleverit. Etenim viginti borum vaticiniorum iu eius rei argumentum in Matthaei evangelio proferuntur [13]). Ne vero dixeris io aliis quoque evaugeliis tale argumentum adbiberi. Rarius quippe omniuo id fit, quinquies, inquam, apud Marcum, octies apud Lucam, undecies autem apud Ioannem, cuius tamen, aeque ac Matthaei, consilium ἐλεγκτικόν est; imo, quae sacrorum scriptorum testimonia in Marci et Lucae evangeliis leguutur, si unum et alterum excipias [14]), nou ab ipsis adlata sunt, sed ab aliis. Et illud in Matthaeo adtendas, quod ab aliis non fit, studiose eom quaedam narrare aut etiam solmmodo veluti indicare, quo occasionem captet commonstrandi πλήρωμα alicuius vaticiuii. Expende haec: I, 18—23; II, 13—15. 23; IV, 12—16; XII, 15—21; XXI, 15—16; XXVII, 3—10. Quin etiam videas praecipuas quasdam historiae partes, in quibus oracula oobilissima impleta sout, a Mattbaeo praetermitti, ipsum vero horum vaticiniorum πλήρωμα tum demum commemorari, qoum rerum adiuncta pleniorem huic fidem apud Iudaeos foreut conciliatura. Qood exempli gratia sit, Matthaeus bistoriam conceptus virginei reticuit,

[1]) Matth. XXIII, 39. [2]) Ib. XXI, 1—9. Conf. Luc. XIII, 35 cum XIX, 29—38. [3]) Matth. XIV, 13 coll. 1. [4]) Conf. XIV, 13 cum 1 et cum XIII, 54—58. [5]) Matth. I, 1. [6]) Matth. I, 1—17. [7]) Matth. IX, 27. [8]) Ib. XII, 23. [9]) Ib. XX, 30. 31. [10]) Ib. XXI, 9. [11]) Ib. 15. [12]) Ib. XV, 22. [13]) Matth. I, 23; II, 6. 15. 18. 23; III, 3; IV, 15; VIII, 17; XI, 5. 10; XII, 18; XIII, 35; XXI, 5. 16. 42; XXII, 44; XXVI, 31; XXVII, 9. 35. 43. 46. [14]) Marc. I, 2. 3; XV, 28; Luc. III, 4—6.

in qua tamen locum fuisset commemorando Isaiae vaticinio de virgine paritura [1]; potius enim ipsi pro consilio suo fuit referre, quomodo angelus Iosepho in somnis visus hoc vaticinii istius *πλήρωμα* eum docuerit [2]. Non secus sentiendum est de vaticinio Michaeae [3], quod Christo Bethlehemi orto impletum est; huius tamen ortus historiam omisit Matthaeus, ac solum *ὥσπερ ἐν παρόδῳ* Christum in ea urbe natum dixit [4]; sed, cum narraret adventum Magorum in aulam Herodis, induxit simul ipsos *principes sacerdotum et scribas populi* Herodis rogatu illud vaticinium interpretantes [5].

§ II

Quibusnam Matthaeus scripserit.

27 Nemini itaque, Matthaei consilium quale fuerit, potest non esse manifestissimum. His tamen leviora non sunt, quae probant opus Matthaei priscis illis Christianis genere Iudaeis ex Palaestina, imo ipsi ecclesiae hierosolymitanae fuisse destinatum. Etenim, quominus contra, ac veteres omnes tradiderunt, putemus destinatum aliis fuisse opus istud, vetant tum ipsum scriptoris consilium, quo de egimus modo, tum lingua, qua illud scriptum fuit, de quo infra; consilium quippe illud solis Iudaeis, aut his longe magis procul dubio quam aliis quibusvis, utile esse poterat, linguam vero non alii quam Palaestini adhibebant. Sed et plura praeterea hoc ipsum confirmant; quorum si non singula, omnia tamen simul sumpta maximum habent momentum.

28 Legentibus quippe hoc evangelium voces aliquae hebraicae occurrunt minus obviae, quae ab aliis quam ab illis Iudaeis intelligi nequibant, nulla tamen addita interpretatione. Lege Matth. V, 22; XXVII, 6. Atque huc pertinent, quae dicuntur de nomine *Iesu* [6], deque appellatione *rabbi* [7], tamquam si horum significatio nota lectoribus foret, deque nomine *Nazaraeo* [8], quod ex Hieronymi sententia [9] illustrari debet conferendo hebraicum vaticinium Isaiae XI, 1. Usurpantur in eodem evangelio appellationes, quae Iudaeorum Palaestinensium illa aetate propriae erant, quarum plurimas in aliis evangeliis frustra quaeras, nonnullas vix reperias. Lege Matth. I, 1; II, 1; III, 2; V, 16; VI, 14. 33; VIII, 12; IX, 27; X, 15; XI, 29. 30; XIII, 39; XVI, 18; XXIV, 30. Inter quae recensenda sunt nomina *ἔθνοι gentes* et *ἐθνικοί ethnici* in malam partem accepta [10], in quam ceteri evangelistae, utpote qui aliis quam Iudaeis scriberent, numquam acceperunt, sed ubi ea Matthaei capita transcripsere, in quibus ceterae gentes durius haberi videbantur, omisere nomina illa; Lucas vero duritiem hanc, ubi opus fuit, emollivit [11].

29 Videas quoque in hoc evangelio non modo plures leges Iudaeis omnibus communes, ut sunt in Matth. V, 21. 27. 31. 33. 38, 43; XII, 5, sed plures quoque mores ac consuetudines Palaestinis peculiares, quales leguntur in Matth. V, 22. 23. 34—36; VI, 2. 5. 16; XXII, 11. 12; XXV, 1, commemorari, nulla adiecta illustratione; quae nemo ceterorum commemorat. Lucas quidem alia Iudaeorum neque propria et ipse indicat non raro, nec ea explicat, ex quo tamen nihil inferre est nisi Theophilo, cui Lucas scribit, cognita haec fuisse [12]; neque enim alia sunt, quam Iudaeis omnibus communia, aut quae ex lectione legum mosaicarum quisque comperta habere poterat, aut denique quae Christiani quoque illa aetate adhuc observabant; at Marcus, ubi quid horum profert, numquam inenarratum relinquit. Lege Marc. II, 18; VII, 2 — 4. 11; XIV, 12; XV, 42. Porro illorum rituum et consuetudinum iudaicarum Matthaeus non meminit modo ea ratione, qua diximus, sed et subinde haec observat. Tale enim est, quod narrationibus gestorum Christi eius *γενεαλογίαν* praescripserit, ut in libris Veteris Testamenti saepe factum videmus. Quod omnes illas *γενεάς* animadvertat posse in tres partes aequo numero distribui [13]; hoc enim ex gustu Iudaeorum est, qui in hisce numerorum lusibus sibi placent. Quod Hierosolymam *sanctam civitatem* [14], templum autem *locum sanctum* [15] adpellet. Quod *gentium* nomen in deteriorem sensum accipiat (28). Quod denique eam librorum sacrorum partitionem fortasse usurpet, ut putant nonnulli [16], quibus tamen adsentire nequeo [17], quae *talmudica* vocatur, quaeque Iudaeorum ex Palaestina tantummodo propria fuit, et secundum quam Ieremias primus locus est in libris prophetarum. Matthaeus enim, inquiunt, quaedam Zachariae verba adferens eum *Ieremiam* dixit [18], nempe librum primum pro integro corpore librorum adlegans, sicut Christus *psalmos* dixit [19] pro postrema bibliorum parte, quae a psalmis initium habet, contra vero Marcus pro

[1] Is. VII, 14. [2] Matth. I, 20 — 23. [3] Mich. V, 2. [4] Matth. II, 1. [5] Ib. 4 — 6. [6] Ib. I, 21. [7] Ib. XXIII, 8. [8] Ib. II, 23. [9] In h. l. [10] Matth. V, 47; VI, 7. 32; X, 5; XVIII, 17; XXIV, 9. [11] Cap. III. n. 51. [12] L. III. diss. I. n. 24. [13] Matth. I, 17. [14] Matth. IV, 5; XXVII, 53. [15] Ib. XXIV, 15. [16] *Lightfoot* Horae hebr. et talm. in Matth. XXVII, 9; *Derossi* Introduzione alla sagra scrittura § 7. [17] Lege L. III. diss. XLV. n. 19. [18] Matth. XXVII, 9. [19] Luc. XXIV, 44.

Malachia Isaiam auctorem citavit [1]), sequutus videlicet vulgatiorem bibliorum ordinem atque Hellenistis quoque usitatum, quo prophetarum primus est Isaias.

30 Praeterea Matthaeum Iudaeis scripsisse comperimus ex frequentissimo scripturarum usu, qui est in eius evangelio. Veterum enim scripturarum verba longe saepius occurrunt in Matthaeo, quam in ceteris; sex ut minimum supra quadraginta earum *ἀποσπασματια* apud illum numeres, ast apud Lucam infra triginta, apud Marcum minus quam viginti, adhuc vero pauciora apud Ioannem. Frequentius quoque in evangelio Matthaei quam in aliis argumenta ex scripturis depromuntur; in illo bis supra vicies, undecies in Ioanne, novies in Luca, septies in Marco. Iuvat etiam animadvertere Matthaeum, quod alii numquam fecerunt, non raro prophetae alicuius testimonium protulisse tacito eius nomine, illaque solum adhibita formula, *per prophetam* [2]), ut qui scriberet iis, quibus notae omnino forent scripturae sacrae, notumque quinam prophetarum testimonium illud ediderit.

31 Legimus in Matthaeo, non vero in aliis, quasdam sententias atque doctrinas Iudaeis magis accommodatas atque opportunas, itemque alia, quae nosse horum magis quam ceterarum gentium interemt [3]). Quae inter, ni fallor, praecipuum locum habere videtur *παρενθεσις* illa, quae est in Matth. XXIV, 15. Inducitur quippe Christus exponens Danielis oraculum de Hierosolymae vastatione, atque inter ipsum sermonem haec leguntur: *Qui legit, intelligat.* Haec Christi verba esse minime putarem; Christus enim loquebatur, ac Iudaei loquentem auscultabant, quinam ergo lectioni locus tunc esse poterat? Tum vero, quum se loquentem attendere homines iubebat, dicere solitus fuit: *Qui habet aures audiendi, audiat* [4]), aut: *Qui potest capere, capiat* [5]). Quare haec potius videntur verba esse ipsius Matthaei lectores suos Iudaeos ex Palaestina admonentis, ut caute hanc Christi praedictionem, quam ipse descripsit, adtenderent, utpote qua praenuntiaretur, quid ipsorum genti atque orbi brevi foret exspectandum. Neque sum nescius in Marco quoque haec legi; at Marcus Matthaeum saepe transcribit. Huc quoque pertinent plures parabolae Iudaeis edocendis et castigandis aptiores a Matthaeo literis consignatae, ex quibus tamen Marcus et Lucas unam solummodo referunt, in qua est de vinea locata, utpote quae ceteris gentibus maxime omnium grata accideret, ea quippe Christus praedixit Iudaeorum gentem a Deo esse reiiciendam, gentesque alias in eorum locum sufficiendas [6]). Ad haec animadverte longe pluries atque acrius subinde Iudaeos [7]), ac praesertim horum scribas, Pharisaeosque [8]) redargutos deprehendi in hoc quam in aliis evangeliis.

32 Quod si quaeras, cur Matthaeus ea fusius referat, quae a Christo extra Iudaeam gesta sunt, quae vero in Iudaea atque adeo in ipsa urbe Hierosolyma, vix ulla commemoret, num potiorem rationem flagitabis, quam quia ipsam Iudaeam ipsamque Hierosolymam incolentibus scriberet, quibus nota forent, quae inter ipsos gesserat Christus?

33 Itaque his omnibus, praesertim si consideres, quam alia ratione quod ad haec se gerant Marcus et Lucas, affatim tibi demonstratum sit oportet, Matthaeum lectoribus Iudaeis genere, Palaestinam incolentibus, praesertim vero ecclesiae hierosolymitanae opus suum destinasse, quod patres vel expressis verbis pronuntiarunt, vel implicite saltem, uti quum narrant Matthaeum hebraice scripsisse, haereticosque ex Christianis iudaizantibus ac gente Palaestinis exortos, Nazaraeos, Cerinthianos, Ebionitas, solo Matthaei evangelio usos esse.

34 Unum adhuc animadverte. Si Matthaeus, non Iudaeis ex Palaestina solummodo, sed ex quacumque gente Iudaeis, qui Christo nomen dederunt, evangelium suum dicasset, non esset cur diceretur scripsisse Iudaeis, siquidem primis illis rei christianae temporibus, antequam apostoli in alias regiones dispergerentur, quotquot Christo sese adiunxerant, Iudaei religione fuerunt. Scripsit itaque Iudaeis indigenis iam Christo subditis, ita ut etiam alii eorum populares Christo nondum subditi evangelii huius lectione iuvarentur.

QUAESTIO V

Qua lingua scripserit Matthaeus.

§ I

Efficitur Matthaeum syrochaldaice scripsisse.

35 Una vetustatis totius a remotissima usque rei christianae aetate sententia est, Matthaeum Iudaeorum lingua, qualis aetate illa erat, id est, syrochaldaica, scripsisse. Ita Polycarpus, qui esse

[1]) Marc. I, 2. [2]) Matth. I, 22; II, 5. 15; XIII, 35; XXI, 4; XXVII, 35. [3]) Matth. V, 17. 20. 35; VI, 17. 18. coll. 16; VII, 12 fin.; X, 5. 6. 17; XI, 23; XII, 6. 11. 23; XV, 24; XXIII, 8—10; XXIV, 20. [4]) Matth. XI, 15; XIII, 9. 43; Marc. IV, 23; VII, 16. [5]) Matth. XIX, 12. [6]) Matth. XXI, 33—43; Marc. XII, 1—11; Luc. XX, 9—18. [7]) Matth. V, 20—48; VI, 1. 2. 5. 16—18; X, 25; XI, 20. [8]) Ib. III. 7; V, 20; XXIII, 2—39.

fertur [1]), Papias [2]), Irenaeus [3]), Pantaenus [4]), Origenes [5]), Eusebius [6]), Cyrillus Hierosolymitanus [7]), auctor *Synopseos* Athanasio adtributae, Gregorius Nazianzenus [8]), Epiphanius [9]), Chrysostomus [10]), Hieronymus [11]), Augustinus [12]), aliique.

36 Profecto Matthaeum librum suum edidisse in usum Iudaeorum indigenarum ipsiusque ecclesiae hierosolymitanae satis modo demonstravimus. Ecquaenam itaque lingua in eo edendo usus esset Matthaeus, nisi illorum, quibus scribebat, nativa, et qua reliqui eorumdem libri sunt exarati? Num credibile est Matthaeum primae omnium ecclesiarum, quae ex ipsis apostolis et discipulis Christi primo coaluerat, adeo parum consultum esse voluisse, ut in eius usum evangelium scribens alia tamen quam ipsius lingua, quae sua quoque erat, uti voluerit? Idque eo mirandum magis, quo Iudaei illi, praesertim qui severiore vitae instituto utebantur, quaecumque graecum quid saperent, nedum Graecos ipsos, minus amabant plerumque (78), nisi etiam penitus aversabantur; cuius rei caussas satis nobis aperiunt vel solae historiae Machabaeorum, rem vero ipsam sacra item volumina confirmant [13]). Quid vero quod discrepantia inter vetera oracula, ut in bibliis hebraicis ea leguntur, interque haec eadem, ut sunt in graecis exemplaribus Matthaei, non aliunde repeti queat, quam ex vocibus syrochaldaicis? Qua de re infra (56. 57. 58. 60). Quo pertinet etiam nomen נביא, ܢܒܝܐ, versum προφητων in Matth. II, 23, sed προφητου fortasse vertendum [14]). Alia argumenta huius rei evangelium Marci suppeditabit [15]).

37 Matthaeum patria lingua scripsisse nonnulli efficere se posse sibi visi sunt tum ex stilo huius evangelii *hebraissante*, tum etiam quia veterum scripturarum verba referat Matthaeus, non ut in graecis, sed ut in hebraeis codicibus leguntur.

38 Attamen horum primum non magni momenti est. Etsi enim stilus Matthaei, uti et uniuscuiusque ceterorum evangelistarum, ab aliorum stilo plurimum differat, omnia tamen evangelia plus minus *hebraismis* referta sunt. Negari nihilominus nequit Matthaeum frequentius quam ceteros hebraissare, imo notabiliores quosdam hebraismos in eo uno reperiri. Hebraicam quippe dictionem redolet tota genealogia Christi [16]). Hebraica est frequens illa, quae in sermonibus a Matthaeo relatis esse cernitur, periodorum ac membrorum oppositio [17]), quam Marcus, multo autem magis Lucas [18]), quum Matthaeum exscribunt, vitant plerumque. Hebraica item sunt haec omnia: *Iesu Christi filii David filii Abraham* [19]); *Το ῥηθεν ὑπο του κυριου δια του προφητου λεγοντος Quod dictum est a Domino per prophetam dicentem*, atque huius similia [20]); *Gavisi sunt gaudio magno valde* [21]); *A bimatu et infra* [22]); *Qui quaerebant animam pueri* [23]); *Quadraginta diebus et quadraginta noctibus, . . . Tribus diebus et tribus noctibus* [24]); *Ἠκουσεν . . . την ἀκοην Ἰησου Audivit auditionem*, id est famam *Iesu* [25]); *Στραφητε και γενεσθε* pro *παλιν γενεσθε Rursus efficiamini* [26]); *Non est voluntas ante patrem vestrum, . . . ut pereat etc.* [27]); *Mandatum magnum in lege*, id est mandatum maximum legis [28]); adverbia *σφοδρα* et *λιαν valde* constanter, ut hebraicum מאד, usurpata in fine sententiarum [29]).

39 Quod autem aiunt, testimonia veterum scripturarum a Matthaeo producta hebraico potius earum *ἀρχετυπῳ* quam graecis *ἀπογραφοις* consona esse, haud equidem video, quid quaestioni huic habendae conducat, tum falsum plane est; illa enim modo hebraeis, modo graecis codicibus consonant, saepius vero neutris. Qua de re infra disputationem habebimus [30]).

---

[1]) Ap. *Victor. Capuan.* Caten. in quat. ev. init. ev. Marci in *Feuardent.* adnot. ad *Iren.* Haeres. L. III. c. 3. [2]) Ap. *Euseb.* H. E. L. III. c. 39. [3]) Adv. haeres. L. III. c. 1. § 1. [4]) Ap. *Euseb.* H. E. L. V. c. 10; et ap. *Hieron.* De viris illustr. c. 36. [5]) Ap. *Euseb.* H. E. L. VI. c. 25. [6]) H. E. L. III. c. 24. [7]) Catech. XIV. § 15. [8]) Carm. 33. [9]) Haeres. XXX al. X. §. 3; LI al. XXXI. § 5. [10]) In Matth. hom. I. § 3. [11]) De viris illustr. c. 2 et alibi. [12]) De consensu evangelist. L. I. § 4; L. II. § 128. [13]) Io. VII, 35; Act. VI, 1; Commentar. *Kuinoelii* ad haec II. et ad Act. II, 4. [14]) Lib III. Diss. XXXVII. n. 4. [15]) Cap. II. nn. 57. 68. [16]) Matth. I, 2—16. Conf. I Par. II, 10—13. 36—41; V, 30—40 hebr. [17]) Matth. V, 19; VI, 14—15. 19—20. 22—23; VII, 13—14. 17—18. 24—27; X, 13. 32. 33. 41; XVI, 19. Conf. Psalmos et prophetarum libros passim, et *Patritii* De interpret. scripturar. sacr. L. I. nn. 178 seqq. [18]) Cap. III. n. 71. [19]) Matth. I, 1. Conf. I Reg. I, 1; I Par. IV, 35. 37; V, 8. 14. 15; VI, 18—32 hebr.; I Esdr. VII, 1—5; Iudith. VIII, 1 etc. [20]) Matth. I, 22; II, 15. 17; III, 3; IV, 14; VIII, 17; XII, 17; XIII, 35; XXI, 4; XXII, 31; XXVII, 9. 35. Conf. IV Reg. IX, 36; XXI, 10; Is. XX, 2; Baruch. II, 20; Agg. I, 1. 3; II, 1. 10. [21]) Matth. II, 10. Conf. III Reg. I, 40; Gen. XXVII, 33; Num. XI, 33; II Par. XVI, 14; Ezech. IX, 9; XVI, 13; Zach. XIV, 4. [22]) Matth. II, 16. Conf. Num. I, 3; III, 15. 39. 40. 43; XXVI, 62; I Par. XXVII, 23; II Par. XXXI, 16. [23]) Matth. II, 20. Conf. Ex. IV, 19; I Reg. XX, 1; XXII, 23; XXIII, 15; XXV, 29 etc.; Ps. XXXV, 4; XL, 15 etc. [24]) Matth. IV, 2; XII, 40. Conf. Genes. VII, 4. 12; Ex. XXIV, 18; XXXIV, 28; Deut. IX, 9. 11. 18 25; X, 10; I Reg. XXX, 12; III Reg. XIX, 8; Tob. III, 10; Esth. IV, 16; Iob II, 13 etc. [25]) Matth. XIV, 1. Conf. Num. XIV, 15; Habac. III, 2. [26]) Matth. XVIII, 3. Conf. verbum שוב eiusque usum, et *Schroeder* Append. institutionum ad fundam. ling. hebr. reg. 63. [27]) Matth. XVIII, 14. Conf. Ex. XXVIII, 38. [28]) Matth. XXII, 36. [29]) Matth. II, 10. 16. etc. [30]) Quaest. VI.

40 Sententia, quam defendimus, quindecim saeculorum praeiudicio confirmatam, tandem Erasmi iudicio in dubium revocata primo est [1]), cui mox suffragio suo Caietanus [2]), tum alii non pauci adcesserunt, recentissima vero hac aetate Io. Leonhardus Hug [3]), qui omnes Matthaeum graece scripsisse contendunt. Quidquid vero argumentorum prolatum ab his est, ad quatuor capita commode revocari potest. Aiunt quippe primum infirmiore testimonio nos uti; tum vero nemini syrochaldaicum illud Matthaei *ἀρχέτυπον* visum, quidve eo factum sit, compertum esse; ipsa insuper huius evangelii inspectione sententiam nostram explodi; illud denique huic sententiae adversari, quod Matthaei aetate lingua graeca in Palaestina latissime obtineret. In quibus refellendis ne hac illac vagemur, vix alia sectabimur praeter ea, quae ex libro Io. Leonhardi Hugi deprompta summatim perstrinxit I. E. Cellérier [4]). Quae vero praeter haec congessit Rosenmuellerus maior [5]), refutatione non indigent.

§ II

Testimonia patrum adseruntur.

41 Aiunt itaque totam hanc, quam veteres narrant, de syrochaldaico Matthaei evangelio historiam inniti unius Papiae testimonio; quod tamen nullius ponderis sit, utpote hominis, qui ad se vagis rumoribus perlata referret, qui istius evangelii notitiam ab unis Ebionaeis aut Nazaraeis evangelio ***secundum Hebraeos*** utentibus acceperit, qui denique, teste Eusebio, esset *πάνυ σμικρὸς τὸν νοῦν* *mediocri prorsus ingenio* [6]), ideoque minus aptus iudicio de iis ferendo, quae narraret [7]). Concludunt autem illam historiam Ebionaeis aut Nazaraeis acceptam referri oportere [8]).

42 Mirum sane videatur, postquam hanc veterum caussam praeclare dixerat Io. David Michaelis [9]), ea tamen, quae disputavit, adeo exigui momenti visa esse Io. Leonhardo Hugo, ut patrum testimonia, de quibus agimus, convellere adnisus denuo sit [10]). Enimvero si Papias peccasse dicendus foret, quod vagis rumoribus credulam aurem, ut isti volunt, praebuerit, multo sane peius peccare dicendi sunt, qui ad totius antiquitatis sententiam infirmandam ea principii loco ponere non verentur, quorum nec ullus unquam exstitit rumor, nec ratio ulla satis idonea est, cur credantur. Ecquis enim docuit Hugum, quique cum eo sensere, aut sentiunt, ex uno Papia veteres omnes illam sententiam veluti hausisse? Ecquam huius rei rationem proferre possunt? Nullam admodum, nisi si evincant, non fuisse, praeter Papiae testimonium, ex quo discerent veteres Matthaeum syrochaldaice scripsisse. At contra est. Ut enim omittam ecclesiae hierosolymitanae *πατροπαράδοσιν*, cuius testis, etsi paullo serior, non ideo tamen respuendus, Cyrillus est Hierosolymorum episcopus (35), ex verbis Origenis, de quibus paullo post dicemus, comperimus ecclesiae alexandrinae illud iam innotuisse ea aetate, qua haec notitia nullo pacto ex Papia repeti poterat; Eusebius vero narrat Pantaenum, qui saeculo secundo Alexandriae floruit, Matthaei evangelium syrochaldaicum in India reperisse, quod profecto nec Ebionaei nec Nazaraei illuc tulerant, imo a Bartholomaeo apostolo adlatum esse ferebatur [11]).

43 Verum esto unius Papiae testimonio illam historiam inniti. Cur tamen testimonium hoc minime accipiamus? Papiam fictos rumores aucupasse aiunt quidem illi, sed neque unum huius rei rationem proferunt, imo nec, quam proferant, habent. Narrat utique Papias apud Eusebium *et alia ex traditione non scripta ad suam notitiam pervenisse*, verum ecquis, nisi per summam iniuriam, fictos rumores haec vocet? Sin vero Papias, prout isti contendunt, rumores huiusmodi subinde sectatus esset, quo iure hos inter numeranda forent ea, quae narrat de syrochaldaico evangelio Matthaei? Nempe Eusebius de Papiae narrationibus, quum harum nonnullas referret, ita scripsit: ***Multa certe, quae ab iis***, qui cum apostolis versati fuerant, ***acceperat***, IPSORUM NOMINATIM MENTIONE FACTA ***in commentariis suis retulit.*** Quod si totum illud Eusebii caput adtentius perlegas, videbitur tibi fortasse illa historia numerari inter ea, quae Papias eorum, qui cum apostolis fuerant versati, ***nominatim mentione facta*** retulerat.

44 Quod Ebionaeos Nazaraeosque huius sententiae auctores habuerit Papias, coniectat quidem Hug, nullo tamen antiquitatis testimonio aut monumento. At num coniectura aliqua contenti testimonium illud post tantam aetatem reiiciamus, quod patres Papiae aequales aetate aut suppares acceperunt? Praeterea Papias Ioannis apostoli discipulus fuit, ut ante Hieronymum [12]) memoriae pro-

[1]) *Simon* Hist. crit. du N. T. c. 5. [2]) Initio Commentar. in Matth. [3]) Einleit. in die Schrift. des N. T. II Th. §§ 8—12. [4]) Essai d'une introd. crit. au N. T. Genève 1823. [5]) Schol. in Matth. De evang. Matth. [6]) H. E. L. III. c. 39. [7]) *Cellerier* l. c. pp. 233. 234. [8]) Ib. p. 237. [9]) Introduct. au N. T. traduite par *J. J. Chenevière* T. III. II Par. ch. 4. sect. 4. [10]) L. c. § 8. [11]) *Euseb.* H. E. L. V. c. 10. [12]) De viris illustr. c. 18; Ad Theodoram ep. LXXV al. LIII al. XXIX. § 3.

didit Irenaeus [1]), cui utpote Papiae ipsius auditori hac in re habenda potius fides est, quam Eusebio, qui ex ipsius Papiae silentio atque ex iis, quae hic dicit de Ioanne presbytero, huius non vero apostoli discipulum eum fuisse putat, quamquam ex neutro capite id consequatur. Nam neque Irenaeus se Papiae auditorem fuisse dicit, at non ideo hac de re dubitamus. Tum Ioanne apostolo doctore usum fuisse Papiam hinc quoque intelligimus, quod *Polycarpi contubernalis* vocetur ab Irenaeo. [2]) Iam vero qui fieri potuisset, ut Ioannis apostoli auditor, quique, ut ipse Papias de se testatur, aliorum apostolorum discipulis familiariter usus est, ac sollicite curavit, ut ab iis ea disceret, quae Christus eiusque sectatores dixerant atque egerant, qui demum diserte profitetur se nullos alios sectatum esse nisi eos, *qui verum dicerent, ... nec eos, qui nova quaedam et inusitata praecepta memorabant* [3]), ac *se asserat non varias opiniones, sed apostolos habere auctores* [4]), qui fieri, inquam, potuisset, ut rem tanti momenti, qualis est historia evangeliorum, ab haereticis discere voluerit, tamquam si aevo suo, quo Ioannes apostolus aliique fortasse ex Christi discipulis, plures autem ex discipulis apostolorum adhuc vivebant, non alius esset, a quo securius ac verius eam disceret, quique eum ab haereticis deceptum non continuo ex errore revocaret, et cui denique non magis quam haereticis fidem ipse adhiberet? Praeterea non solum narrat Papias Matthaei evangelium Iudaeorum lingua fuisse conscriptum, sed insuper *quemque, ut potuit, illud vertisse* [5]), quod prooemium evangelii a Luca editi confirmat, ex eo quippe comperimus plures exstitisse prima ipsa ecclesiae aetate, qui labores ac studia circa priora evangelia impenderunt [6]). At, siquidem Ebionaei ac Nazaraei primum illorum duorum commenti sunt, Matthaeum syrochaldaice scripsisse, num etiam alterum eos commentos fuisse putemus, id est, *quemque, ut potuit, illud vertisse* evangelium, quod Matthaei opus esse finxerunt? Si enim *plures* fuerunt, qui illud verterent, horum opus notum Christianis reliquis atque adeo ipsi etiam Papiae esse oportuit; quare hoc alterum non illis, unis saltem, haereticis credidisse Papias putandus est. Iam vero ipse Cellérier contendit Papiae testimonium vel quod ad utrumque partem, vel quod ad neutram accipiendum esse [7]). Quare, si omnino accipiendum est quod ad ipsas translationes, accipiendum quoque omnino est quod attinet ad ipsum *ἀρχέτυπον*. Quod autem ponunt adversarii nostri, syrochaldaicum evangelium Matthaeo tributum non aliud unquam fuisse, nisi evangelium, quod *secundum Hebraeos* vocatur, et quo Christiani genere Iudaei ex Palaestina, tum vero Ebionaei ac Nazaraei utebantur, infra exputabimus.

45 Eo denique, quod scribit Eusebius, Papiam fuisse *πανυ σμικρον τον νουν mediocri prorsus ingenio*, et in quo exsultant adversarii nostri, Papiae hac de re testimonium convelli posse nemo facile dabit, qui paullo attentius haec velit considerare. Atque illud comprimis, Eusebium ea ratione loquutum esse solummodo quantum ad sententiam de regno *mille annorum*, quam ducuit Papias, deque modo, quo quaedam scripturarum loca interpretatus est, ut hanc sententiam comprobaret, non autem quantum ad facta, quae narrabat, aut de quibus testabatur. Profecto, quod aliquis sit *πανυ σμικρον τον νουν*, id caussae esse potest, cur ille prave ex aliorum factis aut dictis ratiocinetur, non autem cur neque testari queat haec facta seu dicta esse, aut iis caecus aliquid credat, quorum fidem alioqui suspectam habet; haec enim solus is nequat, qui hebes sit prorsus ac bardus, qualem fuisse Papiam credere vetant tum munus episcopi, quo erat ornatus [8]), tum diligentia, quam prae se tulit in colligendis monumentis rerum a Christo atque ab huius discipulis gestarum, tum opus ab ipso editum quinque libris *De interpretatione oraculorum dominicorum*, tum quod Irenaeus idoneum eum ac dignum duxerit, quo magistro uteretur, tum denique quod ipse Eusebius eius testimonium, quod ad res historicas adtinet, ut alius cuiusvis, acceperit [9]).

46 Irenaei testimonium in iis, quae ad historiam evangeliorum pertinent, maximi faciendum esse scribit Cellérier [10]), hoc ipsum tamen negat fieri debere, quoties argumenta obstant ex historiis deducta [11]). Quaenam porro in contrarium ex historiis depromere est? Quod Irenaeus Papiae auditor fuerit caecusque admirator. Verum, unde illud eruerit Cellérier, Irenaeum erga Papiam tanta, ut dicit, admiratione ductum fuisse, fateor me nescire. Id unum scio, Irenaeum ipsum nunquam se Papiae discipulum professum esse, in ipsius autem scriptis semel tantum Papiae nomen occurrere [12]). Sententiam vero de regno *mille annorum*, quam Irenaeus acriter tuetur, haudquaquam Papiae, sed *presbyteris* tribuit [13]), etsi postea subdat: *Haec* ETIAM *Papias Ioannis auditor ...... scripto testata reliquit*. Non tamen credere abnuo Papiae auditorem fuisse Irenaeum, testante id Hieronymo [14]);

[1]) Adv. haeres. L. V. c. 33. § 4. [2]) L. c. [3]) *Euseb.* H. E. L. III. c. 39. [4]) In praefat. Oraculorum dominicorum apud *Hieronym.* De viris illustr. c. 18. [5]) *Euseb.* l. c. [6]) Luc. I, 1. [7]) L. c. p. 251. [8]) *Hieron.* De viris illustr. c. 18. [9]) *Cave* Scriptorum ecclesiast. hist. literar. T. I. p. 47 Oxonii 1740. [10]) Op. cit. p. 230. [11]) Ib. p. 234. [12]) Adv. haer. L. V. c. 33. § 4. [13]) Ib. § 3. [14]) Ad Theodoram ep. LXXV al. LIII al. XXIX. § 3.

at fuit etiam auditor Polycarpi, ut scribunt Eusebius [1]) atque idem Hieronymus [2]), utque ipse Irenaeus memoriae prodidit [3]), imo et aliorum quoque, qui ab apostolis instituti sunt, conversatione usus est [4]). Ex quibus iure concludimus ab aliis, quam a Papia, quae ait de syrochaldaico Matthaei evangelio, discere potuisse Irenaeum. Nimirum Irenaeus, quem nemo profecto ut Papiam dixerit fuisse *παυ σμικρον τον νουν*, quique iudicare optime potuit, quo loco habendum esset Papiae testimonium, siquidem istud, ut contendunt, vix quidquam haberet momenti, numquam huio uni fidem adiunxisset ea in re, de qua neminem alium testari audisset, eaque aetate, qua adhuc supererant, qui testes huius rei saltem auriti esse possent. Commodius profecto sibi ac caussae suae prospiciunt adversarii nostri, quum Papiam ab Ebionaeis et Nazaraeis, Irenaeum autem a Papia deceptum traducunt [5]), quo et patres reliquos ab horum testimonio in errorem tractos esse adfirment.

47 Pantaeni historiam confictam dicunt, quum veri haud simile sit eum ad Indos usque permeasse, multoque minus Bartholomaeum apostolum Indis evangelium syrochaldaicum adtulisse. His autem recte reposuit Io. David Michaelis, alicui fortasse *historiam hanc veri minus similem videri ob Indiae nomen, quod in communiorem notionem accipit pro regione inter Indum et Gangem sita; tametsi hac quoque posita notione narratio haud incredibilis foret, quum ex plenissimis quibusdam narrationibus syriacis, quas congessit Assemanus, putandum sit rem christianam mature admodum non tantum in Indiam permeasse, sed illic floruisse, et ad quartum usque saeculum stetisse, deinceps vero paullatim extinctam esse. Verum in historia ecclesiastica Indiae nomen usurpatur non raro ad designandam Arabiam Felicem, ut animadvertit Tillemontius* [6]). *Id vero plenius quam Tillemontii aetate nunc claret. Arabiam Felicem duae incolarum species obtinuere, quas Moyses distinguit in Gen. X, Chusitae, inquam, ex quibus Abyssini originem ducunt, et posteri Iectan; priores a Syris atque Hebraeis Chusitae vocantur, posteriores Indi* [7]). *Iam vero incredibile nullo modo est Pantaenum in Arabia Felice evangelium praedicasse, quum Alexandria, ubi is degebat, ab illa non longe distaret ... Arabia Felix, ubi magnus Iudaeorum numerus morabatur, ea regio erat, in qua evangelium hebraicum adhibitum fuisse haudquaquam absonum videri debeat; num enim Bartholomaeus apostolus graecum evangelium illuc adtulisset, ubi lingua graeca minime esset in usu* [8])? Lego, quae scripsit Cludius de Indis in Asia minore degentibus [9]).

48 Origenis testimonium infirmius dicunt [10]), quia ipso fatente id testatus sit *ὡς ἐν παραδοσει μαθων prout traditione didicerat* [11]), ut vel ipse videatur huic rei fidem minime adiungere [12]). Attamen expende integram Origenis sententiam, quae sic est: *Prout traditione accepi de quatuor evangeliis, quae et sola sine contradictione sunt in Dei ecclesia, quae sub caelo est, primum quidem scriptum esse a Matthaeo, ... qui illud hebraico sermone conscriptum iis edidit, qui ex Iudaismo crediderant; alterum secundum Marcum etc.* [13]). Illius itaque *παραδοσεως* meminit Origenes, qua simul acceperat et quatuor esse evangelia genuina, et horum primum esse evangelium Matthaei, et evangelium istud fuisse hebraice conscriptum. Quare, si horum postremum Origeni non credimus, quia id accepit *ὡς ἐν παραδοσει μαθων*, nec duo priora credere oportebit; imo Origenes ipse haec duo minime credidisse dicendus erit, siquidem neque illud credidit, quia *ἐν παραδοσει* didicerat, unam enim hanc eamdemque rationem esse ait, qua illa tria didicerat.

49 Eusebius, etsi non modo Papiae, Pantaeni, atque Origenis testimonia retulerit, et quidem ita, ut nihil dubitationis de his prae se ferret, sed ipsemet (35) expressis verbis adfirmaverit hebraice scripsisse Matthaeum, inducitur tamen a nonnullis, veluti si contrariae sententiae fuerit adstipulatus [14]). Etenim, quum in graeco Matthaei evangelio [15]) verba quaedam ex libro psalmorum [16]) deprompta legantur aliter, ac interpretes graeci illius libri verterunt, Eusebius id animadvertens in suis commentariis ait: *Ἑβραιος ὢν ὁ Ματθαιος οἰκειᾳ ἐκδοσει κεχρηται εἰπων· ἐρευξομαι κεκρυμμενα ἀπο καταβολης* [17]); haec autem Eusebii verba ita ab adversariis nostris redduntur: *Matthaeus, hebraeus quum esset,* PROPRIA INTERPRETATIONE *usus est, dicens: Eructabo abscondita a constitutione.* Verum, etsi is foret horum verborum sensus, num ideo concludas Eusebii sententiam esse, Matthaeum graece scripsisse? Matthaeus, quum lingua syrochaldaica uteretur, hebraica bibliorum verba in eam linguam transferre atque interpretari profecto debuit, sicut interpretem syrum veteris testamenti fecisse novimus. Cur autem, non de syrochaldaica, sed de graeca translatione Eusebium loquutum

---

1) H. E. L. V. c. 20. 2) De viris illustr. c. 35. 3) Ap. *Euseb.* l. c. 4) *Massuet* Dissertationes praeviae in Irenaei libros, Dissert. II. art. 1. § 3. 5) *Cellérier* p. 237. 6) Memoires pour servir à l'hist. ecclés. *S. Barthelemy.* 7) *Asseman.* Bibl. or. T. I. p. 359. 8) L. c. 9) In *Eichhorn's* Repert. XI Th. n. III, ubi de I Mach. VIII, 8. 10) *Cellérier* p. 235. 11) Ap. *Euseb.* H. E. l. VI. c. 25. 12) *Masch* ap. *Michael.* l. c. 13) Ap. *Euseb.* l. c. 14) *Cellérier* p. 235. 15) Matth. XIII, 35. 16) Ps. LXXVII, 2. 17) Comment. in Ps. LXXVII, 2.

esse autumemus? Tam vox ἔκδοσις *editionem* potius quam *translationem* significat, atque *editionem* in Eusebii verbis significare re ipsa dicenda est propter adiunctum οἰκεία, quod male redditur *propria*, quum significet *domesticam* vel *familiarem*, ut οἰκεία ἔκδοσις nihil aliud Eusebio sit, nisi bibliorum *editio* Hebraeis *familiaris*, quae, inquam, ipsis in usu est, id est biblia hebraica. Et illud animadverte, quod, si ita, ut dicimus, verba Eusebii interpreteris, locus utique est rationi, quam exponit illis verbis Ἑβραῖος ὤν, secus vero, si adversariorum enarratio vera foret.

§ III

De ipso syrochaldaico huius evangelii exemplari.

50 Opponunt praeterea illud nobis, ἀρχέτυπον syrochaldaicum huius evangelii nemini unquam visum fuisse. Quid itaque eo factum sit? Cur solum apud Christianos genere Iudaeos ex Palaestina, exinde apud Ebionaeos Nazaraeosque, homines haereticos, longe tamen aliud, ac olim fuerat, mansisse putetur? Cur a nemine transcriptum atque alias in regiones adlatum? Qui fieri potuit, ut ecclesia syriaca eo caruerit, quae saeculo secundo compulsa est sibi prospicere graecum Matthaei evangelium vertendo in linguam syriacam, id est in eam ipsam linguam, qua Matthaeus scripsisse dicitur [1])? Denique nonne Theodorus Lector memoriae prodidit Matthaei αὐτόγραφον graece exaratum repertum fuisse in sepulcro Barnabae apostoli?

51 Ego vero haudquaquam Hieronymum memorabo, qui illud ἀρχέτυπον vertisse se narrat [2]), constat quippe, teste ipso Hieronymo [3]), hoc illud fuisse, quo utebantur Nazaraei, et de quo inferius quaeremus. Non tamen Pantaenum praeteribo, de quo iam diximus (47). Verum, quod caput est, nemini illud ἀρχέτυπον visum esse adfirmare nemo potest; neque ex eo, quod neminem noverimus, qui illud viderit, arguere licet nusquam exstitisse. Tum prisca ecclesia hierosolymitana, penes quam hoc evangelium servabatur, una cum urbe Hierosolyma interiit, nec scripta ulla nobis reliquit. Graecos vero scriptores ac patres, qui illa aetate vixere, haud mirum est memoriae minime prodidisse a se visum librum, quem legere nequibant.

52 Quid porro hoc evangelio factum sit, imo quid eo fieri necessario debuerit, difficile non est intelligere. Quum enim ea lingua scriptum esset, qua soli Iudaei in Palaestina tunc temporis utebantur, et quae neque hebraica erat, neque syriaca, ex quo etiam adparet inepte ecclesiam syriacam nobis opponi, quum graecae huius evangelii interpretationes quam primum exstiterint (44), quum iis traditum esset, quos propter intercedentem quamdam cum Hellenistis quasi simultatem [4]) credibile fit his volumen illud invidisse ac denegasse, quum eosdem hos ipsos, Christianos, inquam, genere Iudaeos ex Palaestina, qui prius moribus ac legibus iudaicis tenacius adhaeserant [5]), necesse fuerit his moribus ac legibus simulque veteri sermoni renuntiare, utque huius loco graecum recipere, qui vero ea omnia retinuerunt, in diversas sectas deflectere, Cerinthianorum, Nazaraeorum, Ebionaeorum, illud syrochaldaico evangelio Matthaei fieri debuit, ut istae solummodo sectae, quod solae intelligere poterant, illud apud se servaverint, Catholici vero nihil ultra de eo solliciti fuerint, praesertim quia abesse non potuit suspicio, quam ipsa res deinde non inanem fuisse ostendit, ne tales huius operis servatores illud vel auxerint, vel decurtaverint, vel refinxerint. Haec autem omnia adprime consonant iis, quae tum de illis sectis, tum de evangelio, quo eae utebantur, memoriae prodiderunt Irenaeus, Eusebius, Epiphanius, et Hieronymus. Ceterum de tota hac re peculiaris quaestio infra erit [6]). Haec duo praeterea velim consideres. Primum, quod et aliorum quoque librorum sacrorum ἀρχέτυπα fuerint deperdita, Ecclesiastici, Tobiae, Iudithae, primi libri de Machabaeis; alterum quod eadem sors integras scripturas hebraicas mansura fuisset, nisi Iudaei nobis illas adservassent.

53 Quod vero adtinet ad volumen in sepulcro Barnabae repertum, illud neque syrochaldaicum fuit, ut sensisse videtur Feuardentius [7]), neque ipsum graecum Matthaei αὐτόγραφον; neutrum quippe narrat Theodorus, sed solum fuisse Barnabae ἰδιόγραφον, id est ipsius Barnabae manu conscriptum [8]).

§ IV

De insitis, quae esse dicuntur Matthaei evangelio, graecae originis indiciis.

54 Urgent deinde adversarii argumenta nonnulla ex ipso evangelio deprompta, ac primo stili convenientiam, quae huic evangelio est cum evangelio Marci; at Marcus graece scripsit. Attamen

---

[1]) *Cellérier* pp. 251. 252. [2]) De viris illustr. c. 3. [3]) Ib. et in Matth. XII, 13. [4]) Act. VI, 1; XV, 2. [5]) Act. XV, 1. 2, 5; XVI, 3; XXI, 20. [6]) Quaest. VII. [7]) in notis ad *Euseb.* H. E. L. V. c. 8. [8]) Excerpt. ecclesiasticae hist. L. II. § 2.

ratio ista vel nimis vel nihil probat. Ea quippe defendere quoque posses unum atque eumdem esse utriusque evangelii auctorem. Itaque ex hac stili convenientia, si qua est, nihil aliud consequitur, quam graecam Matthaei translationem et Marci evangelium intra unam et eamdem aetatem prodiise [1]), ipsumque Matthaei interpretem, non secus ac Marcum ceterosque scriptores Novi Testamenti, Hellenistarum lingua usum esse. Tum vero neque hanc, quae inter illa evangelia esse dicitur, convenientiam agnoscas, si Christi sermones excipias in utrumque relatos, aliaque, quae non convenientiam aliquam habent inter se, sed omnino eadem sunt, ut liqueat, alterum evangelistam ex altero haec transcripsisse.

55 Aliud contra nostram sententiam argumentum depromunt ex ratione, qua a Matthaeo verba veterum scripturarum referuntur. Cur enim, inquiunt, non ea Matthaeus retulisset, ut sunt in hebraicis codicibus, siquidem hebraice scribebat [2])? Verum et ipsi edicant, cur Matthaeus, siquidem scripsit graece, non ea retulit, ut sunt in codicibus graecis? At enim in promptu caussa est, inquiunt; Matthaeus enim ipse haec ex hebraeo vertebat, atque ita ut consilio suo atque orationis contextui locos istos scripturarum aptaret, idque adeo esse manifestum, ut nulla interpreti pars ea in re fuisse dicenda sit [3]). Praeclare omnino! Verum, si id praestare potuit Matthaeus graece vertens illa verba, cur praestare non potuisset vertens syrochaldaice? Sed hos ipsos locos perlustremus.

56 Primo itaque proponunt ea, quae firmo, ut ipsis videntur, argumento sunt, quo vincant ipsum Matthaeum graece ex hebraeo vertisse. Matthaeus [4]) enim, inquiunt, *refert illa Isaiae verba:* לא ישמיע בחוץ קולו [5]); *nihil obstabat quominus verbum pro verbo sic redderet cum graecis interpretibus: οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἡ φωνὴ αὐτοῦ ἔξω, maluit tamen paraphrasi uti, et consilio suo illa accommodare, scribens: οὐκ ἐρισει, οὐδὲ κραυγασει, οὐδὲ ἀκουσει τις ἐν ταις πλατειαις την φωνην αὐτου. Quomodo haec paraphrasis componi potest cum eo, quod ponitur, evangelium illud hebraice scriptum fuisse* [6])? Quaenam argumentandi ratio ista sit, viderint adversarii. Velint, nolint, ea ad id revocatur, ut contendant Matthaeum graece scripsisse, quia graecos Isaiae interpretes minime sequutus est; quod et de iis, quae subiiciemus, dictum puta. Nos vero nullam in his paraphrasim reperimus. Illa enim *οὐκ ἐρισει οὐδὲ κραυγασει* translata sunt ex aliis Isaiae verbis, quae praecedunt. Verbum *ἀκουσθησεται*, quo usi sunt graeci interpretes, non magis respondet verbo ישמיע, ac verbum *ἀκουσει τις*, quod in Matthaeo legitur. Si denique animadvertas interpretem syrum Isaiae ita integram sententiam reddidisse: *Non clamabit, neque contendet, et non audire faciet vocem suam*, sive, ut literae sonare etiam possunt: *et non audiet* (*quis*) *vocem eius in platea*, interpretem vero syrum Matthaei ita habere: *Non contendet, neque clamabit, neque audiet quis vocem eius in platea*, intelliges, num Matthaeus graece ea verterit, anne potius syrochaldaice. Postremo, si quaeras, cur pro *ἐποιησεν ἀκουειν*, quod plane graecum est [7]), ipsamque vim exprimit hebraici ישמיע, redditum sit *ἀκουσει τις*, curve nomen singulari numero חוץ non *πλατειᾳ* sit versum, sed *πλατειαις*, certissima caussa in promptu est, nullaque praeter hanc; quia, inquam, syrochaldaicum ישמע aeque respondet hebraicis ישמיע *audire faciet* et ישמע *audiet*, proinde utrumvis accipere interpreti graeco integrum fuit, syriacumque ܫܘܩܐ, quod Matthaeus usurpasse credendus est, sicut usurpavit interpres syrus Isaiae, si solas literas adtendas, et *plateam* et *plateas* potest significare.

57 Aliud, quod urgent, ita est. Evangelista [8]) *haec usurpat ex psalmo LXXVIII, 2:* אביעה חידות מני קדם; *ea vertere potuisset, ut LXX: φθεγξομαι προβληματα ἀπ᾽ ἀρχης, at reddere maluit vehementiore dictione, scripsitque: ἐρευξομαι κεκρυμμενα ἀπο καταβολης κοσμου* [9]). Verum in hoc quoque valent, quae hactenus universe respondimus. Nec dubitem adfirmare in his quoque verbis minus eum deprehendi, qui ex hebraeo sermone vertit, quam qui ex syrochaldaico. Vocem enim syrochaldaicam אבע, geminam significatione voci אביעה ab psalte adhibitae, posse idem valere ac graecum *ἐρευξομαι eructabo* apparet tum ex Ps. XLV, 2, in quo hebraea vox רחש syriace reddita est ܢܒܥ, graece vero *ἐξηρευξατο*, tum ex hoc ipso loco evangelii, in quo graecum *ἐρευξομαι* a syro interprete redditum est item ܢܒܥ; contra ea vero propria significatio hebraici verbi אביעה est *scaturire faciam, effundam*, nec esse potest *ἐρευξομαι* nisi *τροπικως*.

58 Opponunt denique illud, quod evangelista [10]) transcribens quaedam Isaiae verba [11]) *data opera deflectat ab Isaiae sententia, qualis esse videtur, verbaque* חלינו *et* מכאבינו *vertat ἀσθενειας*

---

[1]) Lege *Millii* Prolegom. p. 8. [2]) *Cellérier* p. 253. [3]) Ib. pp. 252. 253. [4]) Matth. XII, 19. [5]) Is. XLII, 2. [6]) *Cellérier* p. 253. [7]) *Stephan.* Thesaur. [8]) Matth. XII, 35. [9]) *Cellérier* l. c. [10]) Matth. VIII, 17. [11]) Is. LIII, 4.

et νοσους, ut respectum habeat ad miracula, quae Iesum patrasse narraverat [1]. Sed haec facile refellimus. Cur enim graecam hanc illarum vocum hebraicarum translationem non ei tribuamus, qui Matthaeum graece vertit? Num is debuisset potius transcribere graecos Isaiae interpretes? Ast hi ab hebraeo prorsus recedunt. Nec apparet, cur notio illarum vocum graecarum magis, quam hebraicarum, apta sit indicandis illis miraculis. Num pro חלי optime redditur *ἀσθενεια*, quum illud ortum sid ex חלה *infirmus fuit*, idque ipsum graeci interpretes reddiderunt etiam *μαλακιαν mollitiem* aut *languorem*, Hieronymus vero *infirmitatem* [2]. Tum adtendas oportet, siquidem Matthaeus syrochaldaice scripsit, ut is eo vocabulo uti non potuerit, quum חלה in lingua syrochaldaica talem significationem non habeat. Nomen autem מכאוב *dolorem* utique significat, non vero *νοσον morbum*; at nomen syrochaldaicum כאבא, ex eadem ac illud radice prognatum, designat etiam *morbum*, hoc enim vocabulo redditur a syro interprete graecum *νοσημα* in evangelio Ioannis [3]. Viderint igitur Hug et Cellérier, ne forte iis, quae sententiae nostrae opponunt, ea magis ac magis comprobetur.

59 Alia deinceps contra nos proferuntur, in quibus transcribendis, inquiunt, auctor evangelii *nequiverit non ipsum opus septuaginta interpretum habere ob oculos, et quae idcirco demonstrant insuper eum haudquaquam hebraice evangelium composuisse* [4]. Quaenam porro haec sunt? Nempe ea, quae in graecis codicibus tum veteris testamenti tum Matthaei eodem modo iisdemque verbis scripta reperiuntur. At cur non haec interpreti graeco debeantur, qui interdum, prout ipsi memoria suggerebat, interpretes illos veteres sectatus sit? Neque enim inepta, ut eam dicit Cellérier [5], sed perapposita est Io. Davidis Michaelis responsio [6] aientis neminem suspicaturum esse, ne forte Irenaeus latine scripserit, eo quod latinus Irenaei interpres scripturarum testimonia producat, ut leguntur, non in codicibus graecis, sed in latinis.

60 Porro eorum, quae Matthaeus ex graecis codicibus transcripsisse dicitur, duo nobis offert Cellérier. Unum est effatum depromptum ex Isaia [7], quod ita in evangelio Matthaei [8] positum est, ut, quum ab hebraico exemplari prorsus discrepet, consonet prorsus exemplaribus graecis Isaiae, retenta quoque voce *ματην frustra* ab interpretibus alexandrinis inserta, etsi ipsum *ἀρχετυπον* nihil habeat, quod graecae huic voci respondeat. At, quamvis haec vera forent, nihilominus tum diversa nonnullorum verborum dispositio, tum omissio, tum etiam permutatio, quae in Matthaeo sunt, abunde demonstrant illa memoriter ab eo transcripta fuisse, ideoque falsum esse, quod adfirmabant, auctorem, dum haec transcriberet, *nequisse non ipsum opus septuaginta interpretum habere ante oculos*. Sed neque est, cur haec interpreti graeco Matthaei abiudicare necesse sit. Tum, quod adtinet ad vocem *ματην in cassum*, animadverte, eam graecos interpretes adhibuisse, ubi Isaias scripsit ויהי *et fuit*, ut legisse videantur in suis exemplaribus hebraicis ויהו pro ויהי; quid ergo si ita erat etiam in exemplaribus hebraicis, quibus Matthaeus usus est? Sed scripserit Isaias ויהי, quod Syrus reddit ܘܗܘܐ; liquet hanc vocem ܗܘܐ vix differre a ܗܘܐܐ, quod *vacuum* sonat, proinde voci huic quamdam esse cum voce *ματην* significationis analogiam. Si itaque Matthaeus scripsit, ut syrus Isaiae interpres, ܘܗܘܐ *et fuit*, nemini res prodigiosa videbitur, quod interpres Matthaei, cui utpote Hellenistae alexandrina bibliorum translatio usitata erat, huius translationis auctoritate ductus atque analogia illa vocum, verbum ܘܗܘܐ reddiderit *ματην δε*.

61 Alterum, quod exhibet Cellérier, est sententia ex genesi [9] deprompta, quam, ait ille, Matthaeum [10] ex graeca translatione, non autem ex ipso exemplari, hebraico exscripsisse hinc liquet manifesto, quod tota argumentatio innititur vocibus *οἱ δυο duo*, quae, non in hebraeis, sed in graecis codicibus leguntur. Verum verba illa geneseos non ipse Matthaeus profert, sed a Christo prolata fuisse refert; quid ergo si Christus ita protulit, ut sunt in bibliis graecis? Nonne potuit Matthaeus, quamquam syrochaldaice scriberet, voces istas inserere, ut integre Christi sententiam exhiberet, debuitque potius omittere, quia in bibliis hebraicis eae non comparent? Praeterea ex ipso hoc Matthaei loco, quum ipsi consonent, non modo interpretes illi graeci, sed et syrus, et vulgatus, et chaldaeus Ionathan *ὁ ψευδωνυμος*, atque ipsum exemplar samaritanum, qui omnes שנים seu שניהם legerunt in codicibus, quibus usi sunt, concludere tuto possemus, voces illas *οἱ δυο* genuinas esse, manca vero esse hodierna volumina hebraica [11]. Denique, quod aiunt, Christi argumentationem inniti vocibus *οἱ δυο*, nullo modo accipimus. Adeo enim id a veritate abhorret, ut potius credendus

---

[1] *Cellérier* pp. 253 254. [2] Is. LIII, 3. *Rosenmüller* Schol. ad h. l. [3] Io. V, 4. [4] *Cellérier* p. 254. [5] Ib. p. 255. [6] Introduct. ao N. T. II P. ch. 4. sect. 7. n. 4. [7] Is. XXIX, 13. [8] Matth. XV, 9. [9] Gen. II, 24. [10] Matth. XIX, 4. 5. [11] Lege *Derossi* Var. Lectiones ad Genes. II, 24.

esse Christus videretur eas voces minime protulisse, tum quia nemo facile intelligat, quomodo ex eo, quod dicitur ERUNT DUO, consequantur illa NON SUNT DUO, tum quia vis argumenti dependet a verbis *in carne una*, et ex hoc illud consequens est, quod Christus docere nos voluit, dicens: *Itaque... sunt... una caro*, quam sententiam roborat negatione contrariorum: *iam non sunt duo.*

§. V

De lingua graeca Matthaei aetate Iudaeis usitata.

62 Contendunt denique Matthaeum pluribus consulturum fuisse, si graece scripsisset, quoniam in Palaestina maxime communis erat huius linguae usus [1]). Esto autem id, si placet, quamquam, opinor, negare non ausint aeque huic rei prospectum fuisse, si syrochaldaicum exemplar, ut factum esse putandum est (44), quamprimum graece versum fuit. Attamen quaerere haudquaquam oportet, an pluribus consuluisset Matthaeus graece scribens, quam syrochaldaice, sed an plenius ac melius iis, quibus opus suum destinaverat. Ut autem hoc alterum adfirmare possis, satis non est, si demonstres graecam linguam Palaestinis quam maxime fuisse usitatam, in quo tamen comprobando Hug partem longioris suae de Matthaei evangelio disputationis plusquam dimidiam insumpsit [2]), sed, quum Matthaeus scriberet Iudaeis Palaestinam incolentibus, duo praeterea forent demonstranda; primum omnibus his graecam linguam ita intellectam fuisse, ut quisque posset tum graece tum hebraice sive syrochaldaice indiscriminatim iis scribere ac loqui, tum vero flocci pendenda esse ea omnia monumenta, quibus docemur Iudaeos illos, quidquid graeca suboleret, plerumque fuisse aversatos.

63 Quod ad primam quaestionem adtinet, an graeca lingua omnibus cognita aut intellecta saltem fuerit, nemo huc usque argumentis plane pervicit; verba vero Hieronymi, quae sunt in prologo Commentariorum de epistola Pauli ad Galatas scripta, seriora sunt, quam huic rei demonstrandae sufficere valeant, scripta enim sunt trecentis et quinquaginta annis post evangelium Matthaei. Contra vero indubia res est Iudaeis in Palaestina vernaculam fuisse linguam syrochaldaicam, ideoque neque integrum est dubitare omnibus hisce Iudaeis eam fuisse intellectam plenius omnino, quam graecam, ut Hug quoque se credere non diffitetur [3]). Quaero igitur, num is, qui illis scribere volebat, consultius egisset, si graeca, an potius si lingua syrochaldaica uteretur? Dices Matthaeum non solis Palaestinis scripsisse, sed aliis quoque aliarum regionum Iudaeis. Sed cuinam quove argumento id probes? Veri insuper simile est in aliis quoque regionibus, si non omnibus, at saltem asianis, Iudaeos syrochaldaice loquutos esse aut scivisse; imo id certo constat de Parthis, de Babyloniis, de Arabibus remotioribus, de Transeuphratensibus, deque Adiabenis, quum ad hos omnes Iosephus historias suas *de Bello* γλώσσῃ ... τῇ πατρίῳ, id est syrochaldaice a se conscriptas miserit [4]); quo etiam pertinet evangelium hebraicum Matthaei a Pantaeno in India seu Arabia repertum (47).

64 Ceterum ratione eos facere, qui dubitant, an Iudaei in Palaestina graece vulgo scirent, graecumve sermonem intelligerent, pro certo autem habent his omnibus linguam syrochaldaicam, utpote vernaculam, usui fuisse, plura praesto sunt, quibus probemus, atque adeo illa ipsa argumenta ex parte, quibus adversarii nos oppugnant. Quidquid enim argumentorum congerunt, ad haec capita reducuntur. Quod postremis aetatibus res iudaica obnoxia fuerit dominatui Macedonum, Herodum, ac Romanorum, qui graeca lingua in illis regionibus usi sunt. Quod multae urbes graecae essent in Palaestina. Quod studio literarum graecarum faverint, qui sapientes inter Iudaeos habiti sunt, ut discimus ex Mischna. Quod denique in ipsa urbe Hierosolyma graeca lingua adprime vigeret, lateque obtineret, quandoquidem, sicut legimus in Actis, plurimi in ea degerent graece loquentes [5]), multaeque synagogae essent, in quibus sola lingua graeca adhibebatur [6]), atque, ut adparet ex concione habita a Paulo, populus eos intelligeret, qui graece loquebantur [7]). Cetera argumenta, quae apud Rosenmuellerum [8]) aliosque reperiuntur, utpote inepta aut sane levia atque infirma, securi omittimus. Hae autem rationes modo adlatae probant utique graecam linguam fuisse in Palaestina valde usitatam; num vero alicui satis eae sint, quibus in animum inducat, ut credat eam linguam illic ipsa lingua iudaica usitatiorem, aut saltem aeque atque istam Iudaeis indigenis intellectam fuisse, ut quis eos graece ac syrochaldaice indiscriminatim adloqui posset? Nonne potius aliquae harum rationum credere suadent contra, ac adversarii sentiunt, rem se habere?

---

[1]) *Cellérier* pp. 242. 250. [2]) Einleit. II Th. §§ 8—12. [3]) *Cellérier* pp. 247. 248. [4]) De bello, Procem. §§ 1. 2. [5]) Act. VI, 1; IX, 29. [6]) Ib. VI, 9. [7]) Ib. XXI, 40—XXII, 2. [8]) Schol. in Matth. pp. 9. 10. Norimberg. 1815.

65 Macedones quippe circiter centum octoginta annis Iudaeos vexarunt utique, successoribus Alexandri sibi invicem illas regiones eripientibus, plerumque tamen nil nisi tributa sibi pendere illos cogerunt. Quorum tyrannis, adeo graecis sive disciplinis sive linguae inter Iudaeos intrudendis conservandisque obstabat, ut caussa imo fuisse potius putanda sit, cur quaecumque graeca forent sanioribus saltem Iudaeis invisa esse coeperint, ut re ipsa fuere, de quo infra dicemus. Lege historias Machabaeorum. Aetas Hassamonaeorum, qui ab ea tyrannide ad Herodas usque rerum potiti sunt, nihil sane contulit graeci sermonis incremento; numique, ut vocant, bilingues per illam aetatem percussi, qui etiamnum supersunt, qua graeci sunt, debentur commercio, quod iam exerceri coeperat inter Iudaeos interque gentes finitimas, Syros potissimum atque Aegyptios, dominis originе Macedonibus graeceque loquentibus subditas, qua vero hebraici, argumento potius sunt, Iudaeis vulgo graecum sermonem minus fuisse intellectum. Herodem Magnum eiusque posteros graecis moribus atque institutis indulsisse, gentemque ad ea fingere studuisse, non est infitiandum, quum satis id prodant historiae Iosephi; at quo successu quantaque cum offensione gentis, quae Herodum dominatum exsecrabatur, num denique eo usque, ut lingua graeca cum patria iam usu certasse credenda sit, ex iisdem historiis discere est [1]). Porro ab eo tempore, quo Iudaea in provinciam ab Augusto redacta Syriaeque adiuncta est, ad illud, quo Matthaeus edidit evangelium, id est triginta et unius summum annorum intervallo, tantae harum linguarum vicissitudini locum esse potuisse improbabile omnino est, neque ratio ipsa dominationis romanae ea esse solebat, quae huiusmodi vicissitudines induceret. Ut enim patrios mores patriasque consuetudines, ita et linguam patriam populis subactis permittebant Romani, hosque hac eadem ratione etiam erga Iudaeos sese gessisse comperimus tum ex scriptoribus Novi Testamenti, tum ex Iosepho [2]), tum ex ipsa oratione a Tito habita ad Hierosolymitas a se obsessos [3]). Quod vero adtinet ad ipsam linguam, cur caussam, qua Christum in crucem egerunt, non modo latine ac graece, ut Romanorum mos in Asia atque in Graecia ferebat, sed et hebraice eruei adscripserunt, siquidem linguam provinciarum vernaculam negligi voluissent? idque in ea urbe, in qua, prout adversarii putant, omnes graecam linguam intelligebant? Falso praeterea ait Cellerier [4]) Romanorum magistratus in Asia ita graeca lingua usos esse, ut latinam minime adhiberent [5]).

66 Ut ex graecis urbibus Palaestinae argumentum utcumque contra nos peti possit, primo foret demonstrandum graecas eas esse vocatas ideo etiam, quia graece *vulgo* loquerentur, non autem solummodo, quia mores graecanicos sectarentur, atque a Iudaea, in qua olim censebantur, fuerint avulsae. Atqui duas posteriores caussas illius appellationis sunt qui nobis aperiant, non vero primam.

67 Narrat enim Iosephus, Syros Caesaream, quae una erat illarum urbium, simul cum Iudaeis incolentes contendisse non Iudaeorum sed *Graecorum* eam esse, idque ea ratione confirmasse, quod *statuae* ac *templa* illic exstructa fuerint ab ipso urbis conditore Herode [6]). Narrat quoque, quum Augustus integrum Herodis regnum inter huius filios distribuisset, tres urbes inde avulsas Syriae provinciae adiunxisse [7]), cuius rei caussam his verbis edicit: *Γαζα γαρ και Γαδαρα και Ἱππος ἑλληνιδες εισι πολεις Gaza* ENIM, *et Gadara, et Hippos urbes graecae sunt* [8]). At quid sibi voluit Iosephus, quum urbes istas graecas vocavit? Si ita eas vocavit ideo, quia graeca lingua in illis obtineret, non ergo obtinebat in Palaestina universa, profecto non in omnibus regionibus Herodi olim subiectis. Quum enim illae tres urbes ab Herodis regno avulsae fuerint, quod graece loquerentur, nusquam alibi, qua illud regnum patebat, graecum sermonem in usu fuisse putandum est, sed ubique patriam linguam prae graeca obtinuisse . Tum neque intelligo, cur Syriae, in qua patria lingua non secus ac in Palaestina vigebat (50. 73. 76), potius quam Iudaeae, eae urbes adiungerentur, quae graeco sermone utebantur. At si ponamus ideo graecas fuisse vocatas, quia ad graecos mores graecasque religiones sese confiuxerant, continuo etiam percipies caussam, quam inquirimus. Neque illud praeteream, ut in ipsa Gaza, quae prima ex illis tribus graecis urbibus a Iosepho nominatur, unaque erat ex urbibus florentissimis Palaestinae [9]), initio saeculi V, ut testatur Marcus Gazensis, qui tunc temporis vivebat [10]), essent adhuc, qui graece nescirent.

68 Quod autem *graecae* dictae sint urbes nonnullae Palaestinae ideo etiam, quia a Iudaea, cuius pars olim fuerant, avulsae in ea iam minime censerentur, neque de hoc dubitare est. Iudaeis enim indigenis illa aetate non modo Graecos ipsos, sed et alienigenas quosque Graecis olim subditos, qui

---

[1]) Antiq. LL. XIV—XIX. [2]) Ib. Lib. XIV. cc. 10. 12; Lib. XVI. c. 6. §§ 2—8; L. XIX. c. 5. §§ 2. 3; c. 6. § 3; L. XX. c. 1. § 2. [3]) *Ioseph.* De bello L. VI. c. 6. § 2. [4]) Op. c. pp. 245. 246. [5]) *Iosephi* Antiq. L. XIV. c. 10. §§ 2. 3; c. 12. § 5. [6]) De bello L. II. c. 13. § 7. [7]) Antiq. L. XVII. c. 11. § 4; De bello L. II. c. 6. § 3. [8]) Antiq. l. c. [9]) *Relandi* Palaestina L. III. [10]) Vita s. Porphyrii ap. *Surium* T. I. die XXVI februarii p. 1102.

Iudaei non essent, *Graecos* vocare mos erat, eosque hoc nomine a se distinguere. Cuius rei argumenta adfatim tibi suggerunt tum libri Novi Testamenti, tum historiae Iosephi, tum etiam cetera monumenta rerum iudaicarum. In Novo enim Testamento Titus Antiochenus dicitur Graecus [1]), et mulier quaedam Chananaea [2]) e Syrophoenicia [3]) Graeca vocatur [4]). Videas quoque in Iudaeos et Graecos distingui, non modo Corinthios [5]), sed et Antiochenos [6]), et Iconios [7]), et Lystrios [8]), et Ephesios [9]), et Asianos omnes [10]); quo manifestum fit *διασποραν των ἑλληνων*, cuius mentio est apud Ioannem [11]), et quam latinus interpres dixit *dispersionem gentium*, eamdem esse ac illam, cuius Petrus meminit *dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, Bithyniae* [12]). Iosephus autem, etsi alicubi Graecos a Syris distinguat [13]), tamen alibi Syriae incolas Syros et Graecos promiscue vocat [14]), Asianos vero, uti et Cyrenaicae regionis incolas, distinguit in Iudaeos et Graecos [15]), itemque distinguit Antiochenos [16]), et decreta Romanorum refert, in quibus liquet Graecorum nomine vocari quoslibet Asiae populos [17]). Denique Iudaeorum iuris periti tradunt linguam hierosolymitanam, quae posteriore aetate fuit, et quam ipsi *sorsianam* adpellant, vocatam fuisse syriacam seu graecam, quod non alia de caussa fieri potuit, nisi quia lingua haec extranea reapse foret aliaque ac hebraica [18]). Ceterum huius adpellationis origo ex eo repetenda est, quod, quum Macedonum imperium in Asiae regiones ceterasque Iudaeae finitimas protenderetur, regesque genere Macedones earum dominarentur, quod et alias contigisse historiae testantur, a dominorum genere populis subditis nomen factum sit. Quare iam usque a Machabaeorum temporibus usitatas videmus adpellationes illas *regnum Graecorum* [19]), *graecas urbes* [20]), et *δυναμιν ἑλληνικην graecas copias* [21]), pro regno, urbibus, et copiis Syrorum, civesque Antiochenos Graecos nominari [22]). Imo ea aetate, de qua agimus, latius haec adpellatio patuisse dicenda est, et ad omnes prorsus gentes Iudaeis extraneas fuisse extensa, ut *Iudaeus* et *Graecus* idem sonaret ac *circumcisus* et *incircumcisus*. Neque enim aliam rationem praeter illam invenies, cur Paulus ad alias gentes, quam ad Graecos, scribens, ad Galatas, ad Colossenses, ad Romanos, illam distinctionem urgeat Iudaeos inter et Graecos. Id vero confirmatur iis potissimum, quae Paulus scripsit ad Colossenses: *Ὁπου οὐκ ἐνι Ἑλλην και Ἰουδαιος, περιτομη και ἀκροβυστια*, quae latinus interpres reddidit: *Ubi non est gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium* [23]); itemque eo, quod distinguat in Iudaeos et Graecos omnes bonos [24]) et malos [25]), quotquot *sub peccato* sunt [26]), omnesque Christianos [27]), et gentes demum omnes, quibus Christum praedicaverat [28]). Ita et a Rabbinis aliarum gentium philosophia חכמה יונית *sapientia graeca* dicitur [29]), et *graeca* etiam dicitur quaelibet lingua, quae vernacula sit earum regionum, in quibus Iudaei commorantur [30]), Graeci denique vocantur quicumque exteri [31]). Neque animadvertere omittas, a latino bibliorum interprete, praesertim in Novo Testamento, nomen *ἑλληνας* saepe redditum esse *gentes* aut *gentiles* [32]).

69 Nullus itaque iam dubites de ratione, cur urbes, de quibus quaestio est, *graecae* haberentur et vocarentur. Ideo enim sic vocatae atque habitae sunt, quia relictis iudaicis religionibus ac moribus ad graeca instituta sese converterant; utque Syris Graecorum nomen a Iosepho factum est (68), ita graecas is dixit urbes illas, quas Syriae adiunctas fuisse narravit (67), non secus ac aliae quoque urbes huius regionis graecae dictae sunt in libris Machabaeorum (68).

70 Aiunt usum linguae graecae a iuris Iudaeorum peritis permitti, imo et praecipi in libris conscribendis, eiusque studium commendari. Permissio tamen illa et commendatio sententiae nostrae non nocent; quare securus legenda tibi suggero illorum doctorum effata de praestantia linguae graecae, quae inter ceteros collegit Lightfoot [33]), dummodo caveas, ne is tibi fucum faciat, quum לשון לעז, cuius mentio est in Megilla [34]), vertit *linguam vernaculam*, hancque ait esse linguam graecam, tamquam si Talmudistae linguam graecam Iudaeis esse vernaculam dixissent [35]). *Vocatur enim* לעז, ut ait Salomon Iarchi [36]), *quidquid non est linguae sanctae*, ideoque et lingua vernacula cuiuslibet regionis, in qua degunt Iudaei, ut sunt italica, gallica, hispanica, atque adeo ipsa lingua syrochaldaica (68); peculiari vero ratione lingua graeca eo nomine designatur, proinde in Megilla לשון לעז nihil aliud

[1]) Gal. II, 3 coll. 1 et Act. XIV, 25—XV, 2. [2]) Matth. XV, 22. [3]) Marc. VII, 26. [4]) Ib. [5]) Act. XVIII, 4; I Cor. X, 32. [6]) Act. XI, 19. 20. [7]) Ib. XIV, 1. [8]) Ib. XVI, 1. 3. [9]) Ib. XIX, 10. 17; XXI, 28 coll. 29. [10]) Ib. XX, 21 coll. 18. [11]) Io. VII, 35. [12]) I Petr. I, 1. [13]) Antiq. L. XVIII. c. 9. §§ 8. 9. [14]) De bello L. II. c. 13. § 7; Antiq. L. XX. c. 8. §§ 7. 9 coll. De bello L. II. c. 14. § 4 et L. III. c. 9. § 1. [15]) Antiq. L. XVI. c. 6. § 1. [16]) De bello L. VII. c. 3. § 3. [17]) Ib. L. XIX. c. 6. § 3. [18]) Glosa ad Gemaram babylonicam Tract. Sota c. 9. f. 49, 2 apud *Seldenum* de Synedriis L. II. c. 9. § 2 fin. [19]) I Mach. I, 10; VIII, 18. [20]) II Mach. VI, 8. [21]) Ib. XII, 2. [22]) Ib. IV, 36 coll. 35. [23]) Coloss. III, 11. [24]) Rom. II, 10. [25]) Ib. 9. [26]) Ib. III, 9. [27]) Ib. I, 16; X, 12 coll. 11; I Cor. XII, 13; Gal. III, 28. [28]) I Cor. I, 22. 24 coll. 23 vulgat. et graec. *Griesbachii*. [29]) *Lightfoot* Hor. hebraic. in Io. VII, 35; Act. XXVIII, 2. [30]) *Seldenus* l. c. [31]) *Lightf.* l. c. [32]) II Mach. VI, 8; Io. et Act. II. cc. [33]) Horae hebraic. ad Matth. I, 23. [34]) Gem. hierosot. Tract. Megilla f. 71. col. 2. [35]) L. c. p. 192. [36]) In Megilla c. 2 init.

sonat, quam linguam graecam, quae una cum latina, syrochaldaica, hebraica, et assyriaca enumeratur [1]). Tum apud ipsum Lightfootum legere est Talmudistarum testimonia de lingua Iudaeorum vernacula, ex quibus compertum fit aliam omnino quam graecam eam fuisse [2]). Ceterum huic permissioni et commendationi alia tum Mischnae tum Gemarae capita adversantur [3]). Praeceptum vero illud de libris graece scribendis unius Simeonis, Gamalielis filii, sententiae innititur [4]); quae sententia si vere doctorum omnium Mischnicorum et Gemaricorum fuit, qui factum est, ut vel ipsa Mischna, ne dum alia multa, non graece, ut praeceptum erat, sed hebraice scriberetur, Gemara vero syrochaldaice?

71 Quod plurimi Hierosolymis degerent, qui graece loquebantur, non id magis evincit cives Hierosolymitas graece scivisse, quam Romanos scire gallice, aut Turcas italice, quod inter illos plurimi gallice loquentes, inter hos vero plurimi loquentes italice versentur. Quod si Iudaeis alienigenis propriae synagogae Hierosolymis exstructae erant [1]), nemo non videt ideo id factum, quia in synagogis Hierosolymitarum lingua syrochaldaica adhibebatur, quae illis ignota erat. Equidem minime intelligo, qua ratione populum Hierosolymitanum graece scivisse conicere queamus ex oratione apud eum habita a Paulo. Etenim, cur populus exspectaret Paulum graece loquuturum [6]), Lucas vero expressis verbis adnotaverit Paulum non graece loquutum esse, sed hebraice [7]), ea ratio fuit, quod hebraica lingua Paulo Cilici nativa non erat. Si autem ex eo, quod populus Paulum graece loquuturum exspectaret, coniicere licet graecam linguam vulgo fuisse intellectam Hierosolymis, pari pacto, imo et potiore ratione, ex eo, quod Lysias tribunus miratus sit Paulum, quem Aegyptium esse putabat, graece loqui [8]), coniicere licebit, linguam hanc non omnibus notam in Aegypto fuisse (76), quo nimirum longa ante aetate, quam in Palaestinam, pervaserat, atque ubi latius pleniusque obtinebat. Si igitur per illud tempus in Aegypto, multo magis in Iudaea fuisse dicendi sunt, qui graece nescirent. Tum, cur Paulus hebraice potius, id est alia, quam sua lingua, quae graeca erat, populum adloquutus est, si is graece loquentes intelligebat? Aiunt, ut gratior populo oratio eius accideret. Atqui hanc ipsam rationem Matthaeo fuisse adfirmamus, cur scriberet lingua patria. Quanti autem faciendum sit testimonium Abrahami Ben David Arie, qui fidenter pronuntiat plebem, dum staret adhuc templum secundum, magis graece, quam hebraice scivisse [9]), hinc intelligere est, quod id comprobat exemplo Philonis, qui graece scripsit [10]), itemque ex eo, quod veterum Iudaeorum כללות nobis obtrudat pro tormentis bellicis, quibus nunc utimur (*cannoni*), idque non semel neque obiter [11]).

72 Quae quum ita sint, compertum fieri arbitror argumentis adversariorum non modo non id evinci, quod hi volunt, sed illorum nonnulla potius nobis suffragari, quum adfirmamus dubium esse, an linguae graecae usus tam late patuerit in Palaestina ac praesertim in Iudaea, ut isti contendunt. Verum et alia sunt, quibus demonstremus linguam Iudaeorum vernaculam, id est syrochaldaicam, aetate Matthaei non modo plenissime adhuc apud eos obtinuisse, sed longe usitatiorem vulgo ac notiorem fuisse, quam graecam.

73 Etenim aliae gentes, quarum Macedones longe prius, quam cum Iudaeis arctiora inirent commercia, potiti fuerant, longioreque aetate dominati sunt, propriam linguam servarunt [12]) adeo, ut in ipsa Syria, ut sentit ipse etiam Cellerier minus profecto sibi cohaerens [13]), atque etiam in Aegypto ipsa saeculo tertio ant, quod verius est, secundo [14]) necesse fuerit, ut biblia in patriam linguam verterentur, quamquam in utraque regione atque in Aegypto praesertim graeca lingua latius obtineret, ut dixi (71), atque a longiore aetate, quam in Palaestina. Quid quod extremo saeculo IV in agris Antiochenorum alius sermo vigeret ac graecus, sicut Chrysostomus testatur [15])? Missos autem facio Syros illos, qui sub idem tempus ac deinceps, non graece, sed syriace libros ediderunt. Multo itaque magis in Palaestina atque in Iudaea potissimum, in qua Graecorum commercia non ita, ut in illis regionibus, viguere, maximarumque incolarum pars, quaecumque graeca forent, ea grata minus haberet, patria lingua linguae graecae progressui obsistere debuit. Certissimum porro huius rei argumentum est, quod in ipsa urbe Scythopoli, quae olim in tribu Manassae censebatur, sequiore autem aetate una fuit ex urbibus Decapoleos [16]), extremo saeculo tertio, quum scripturae sacrae in

---

[1]) *Buxtorf.* Lexic. chaldaic. talmudic. et *Zanolini* Lexic. chaldaicorabbin. ad voc. לעז. [2]) Op. c. ad Acta VI, 1. [3]) Sota c. 9. § 14 et adnotata a *Wagenseilio*; *Seldenus* de Synedriis l. c.; *Lightfoot* l. c. et ad Matth. VIII, 30; *Buxtorf.* op. cit. ad voc. יון. [4]) Meg. c. 1. § 8. [5]) Act. VI, 9. [6]) Act. XXII, 2. [7]) Ib. XXI, 40. [8]) Ib. XXI, 37. [9]) In Schilte haggiborim Commentar. de Templo c. XXIV apud *Ugolinum* T. IX. p. 33. [10]) Ib. [11]) Ib. c. XXIX. p. 376; c. XXX. p. 406. [12]) Act. II, 7—11. [13]) Conf. op. cit. p. 250 lin. 17—19 cum p. 176 lin. 20—22 et p. 252 lin. 1. [14]) *Cellérier* op. cit. P. I. sect. VIII. § 1. n°. 1; § IV et *Eusebium* H. E. L. IV. c. 22 sub fin. et *Wilkins* Novum Test. aegypt. proleg. c. 1. p. 5. [15]) Ad pop. Antioch. hom. XIX § 1. p. 189 coll. hom. de ss. Martyrib. § 1. p. 65. Opp. T. II ed. *Montfaucon.* [16]) *Ioseph.* Bell. L. III. c. 9. § 7; *Plin.* H. N. L. V. c. 16.

templo legebantur, ut eas populus intelligeret, lectioni interpretationem syriaco sermoue subiicere opus foret [1]).

74 Id ipsum confirmatur non solum loquutionibus ac dicendi modis linguarum orientalium propriis, quibus scatent libri Novi Testamenti, quique argunnt scriptores linguis huiusmodi adsnetos, sed et expressis Iosephi testimoniis, sive quum ait se historias Iudaeorum transferre *εἰς ἀλλοδαπὴν ἡμιν και ξενης διαλεκτου συνηθειαν in linguam peregrinam et a nostra consuetudine extraneam* [2]), sive quum, etsi profsctum snum in graecis literis plusculum extollat,, nt praeter ipsum vix duos e suis popularibus aut tres ad summum in his literis profecisse narret [3]), fatetur tamen difficile sibi fuisse materiam ea lingua pertractare [4]), ao linguae peritis opus habuisse, qui se scribentem iuvarent [5]).

75 Porro usum linguae graecae iu Iudaea haudquaqnam enm fuisse, quem dicunt, ex eo efficitur, quod eius notitiam studio, non vero usn, adsequuti sint, qui eam utcumque callebant inter Iudaeos. In Mischna qnippe legimus, quum Titus in Iudaeos bellum gereret, decretum fuisse לא ילמד אדם בנו יונית *ne quis filium snum graece loqui* UOCERET [6]). Iosephus ait se aliosque hanc linguam stndio didicisse [7]). Idem ipse vero, ubi narrat Iustum Pisti filium Tiberiensem non expertem fuisse graecarum literarnm [8]), non obscure significat harum notitiam haudquaquam vulgarem fuisse.

76 Sed neque momenta rationum desunt, quibus arguamus graecam linguam nullo modo omnibus intellectam fuisse. Id enim colligimus ex Mischnae verbis modo adlatis. Id confirmat quaestio illa, qua Lysias tribunns Paulum percontatus est (71): *Graece nosti* [9])? qua de re Lysias minime dubitasset, siquidem usus graecae linguae in Palaestina finitimisque regionibus is fuisset, qnem dicunt, praesertim qnia, quum audisset Paulum orationem apud populum habere, suspicari non poterat eum esse e rudioribus civibus. Neque illud iuvat opponere, ut iam animadverti (71), quod Lysias putaverit Paulum Aegyptium esse [10]). In Aegypto enim lingua graeca longe vulgatior fuit, quam in Iudaea; quare, si illi mirum visum est Aegyptium graece scire, multo magis id in Iudaeo fuisset miratus. Praeterea, nam denno quaeram, cur Paulus populum hebraice adloquutus est [11])? Nempe, quia optabat, ut Hierosolymitae praesertim ipsum loquentem intelligerent. Veritus igitur est, ne, si graece loqueretur, non id fieret, quod optabat. Quod unum, ut obiter dicam, satis esse deberet ori obstruendo iis, qui contendunt Matthaeum consultius acturum fuisse, si graece, non vero syrochaldaice, evangelium exarasset. Habemus insuper Iosephum narrantem sese a Tito legatum fuisse ad cives suos obsidione ab eo pressos, *ut patria lingua dissereret*, quo facilius eos ad deditionem impelleret [12]). Sed manifestius illud est, quod idem scripsit, se Titi mandata Ioanni Giscaleno referentem patria lingua usum esse, *quasi non uni Ioanni, sed etiam pluribus* e populo, qui Ioanni adstabant, loqueretur [13]); itemque, quod, qnum Titus urbem oppugnaret, *speculatores turribus insidentes praenuntiabant, quando impelleretur machina, saxumque ferretur*, PATRIA LINGUA *clamantes: Missile venit* [14]), quod profecto ea lingua nuntiandum erat, quam *omnes* bene intelligerent, ac melius alia quavis. Si denique lingua graeca omnibus nota fuit, cur librorum, qui circa illam aetatem Iudaeis scribebantur, nullus graeca lingua est, sed omnes vel chaldaica, sicut Targumin seu paraphrases bibliorum, vel hebraica, sicut Mischna, vel syrochaldaica, sicut utraque Gemara hierosolymitana et babylonica? Cur Iosephus popularibus suis historias de bello patria lingua conscripsit [15])? Cur Iudaei in usum suum syrochaldaice reddebant, quae graece scripta erant, sicut reddiderunt evangelium Ioannis et Acta apostolorum, ut narrat Epiphanius [16])? Cur titulus cruci Christi inscriptus, non modo graece et latine, ut Romanorum mos (65) ferebat, sed et hebraice [17])? Quid vero, quod Gazae, quae Palaestinae urbs nobilissima erat ac florentissima, graecarumque religionum adprime studiosa, initio saeculi V adhuc erant, qui graece nescirent (67)? Quid quod eodem saeculo V fuerunt in Mesopotamia episcopi, qui graecum sermonem ne intelligebant quidem, nt Theodoretus testatur [18]), et legimus in Actis conciliorum [19])? Audi postremo Iosephum: *Nullo in honore sunt apud nostrates, qui multarum gentium linguis loqui didicerunt, . . . eo quod ingenuorum infimis huiusmodi studium cum servis quibuscumque commune esse arbitrantur* [20]).

---

1) Passio s. Procopii martyris ap. *Valesium* Annot. ad *Euseb.* de Martyrib. Palaest. c. 1. 2) Antiq. Prooem. § 2. 3) Antiq. L. XX. c. 11. § 2. 4) Ib. Prooem. § 2. 5) Cont. Apionem L. I. § 9. 6) Sota c. 9. § 14. 7) Antiq. L. XX. c. 11. § 2. 8) De vita sua § 9. 9) Act. XXI, 37. 10) Ib. 38. 11) Ib. XXI, 40; XXII, 2. 12) De bello L. V. c. 9. § 2. 13) Ib. L. VI. c. 2. § 1. 14) De bello L. V. c. 6. § 3. 15) Antiq. Prooem. § 2. 16) Haer. XXX. § 6. 17) Luc. XXIII, 38; Io. XIX, 20. 18) Religios. hist. c. 17. 19) *Noris* De epoch. syromac. Diss. I. c. 3. 20) Antiq. L. XX. c. 11. § 2.

77 Nullo itaque pacto verisimile fit linguam graecam in Iudaea cum vernacula usu certasse, atque adeo indigenis omnibus fuisse intellectam, ut his indiscriminatim graece aut syrochaldaice loqui ac scribere quis posset; ideoque falso adfirmares Matthaeum iis, ad quos scribebat, melius consulturum fuisse, si graeca lingua usus esset (62). Imo, quominus id adfirmes, etsi nihil ab ipsa lingua, aliquid tamen obstaret ex ea parte, quatenus Iudaeis in universum, sed potissimum Palaestinis, minus grata acciderent, quaecumque graeca forent aut quocumque modo extranea.

78 Hunc autem Iudaeorum ex Palaestina praesertim animum, quo extranea quaeque, in primis vero graecanica, aversabantur, non pauca sunt, ex quibus compertum habeamus. In primis enim, non modo rem ipsam, sed et ipsas rei caussas aperiunt historiae Machabaeorum. Animum hunc ex illo Iudaeis fuisse testantur libri Novi Testamenti [1]). Huc enim spectasse dicendus est Paulus, quum adeo, ut solet, invehitur in morem illum distinguendi inter Iudaeos atque inter Graecos (68). Huc etiam, ut alia, quae adferri fortasse possent, omittam, despectas ille, quo Hebraei, id est Iudaei ex Palaestina patria lingua utentes, vel ipsos Hellenistas, Iudaeos inquam alienigenas, ac potissimum graece loquentes, prosequebantur [2]). Sed et Iosephi testimonia nobis praesto sunt passim in eius historiis, quae mutua Iudaeorum et Graecorum aliarumque gentium, quas Graecas a Iudaeis vocatas fuisse novimus (68), odia mutuasque interneciones memoriae prodiderunt [3]), quo illa Romanorum decreta pertinent saepius gentibus missa, ne Iudaeis molestae forent [4]); quin et semet hac labe, ut quae nativa genti suae esset, immunem minime praebet ipse Iosephus, quove animo in Graecos adfectus fuerit, non obscure prodit [5]). His denique calculum album adiiciunt doctores Mischniaci atque Gemarici, apud quos quo loco gentes ceterae sint, discere est tum ex iis, quae de graecanica sive lingua sive disciplina eos pronuntiasse superius commemoravimus (70), tum etiam ex iis, quae contra ipsas gentes protulerunt ac decreverunt [6]). Lege etiam Kuinoelii Commentaria de evangeliis [7]).

79 Haec itaque, quaecumque edisseruimus, satis esse videntur, ex quibus indicium feras, an Matthaeus Iudaeis Palaestinae incolis scribens graeca potius quam lingua horum vernacula uti debuerit, quandoquidem neque is fuerit in illa regione graecae linguae usus, qui ad id necessarius erat, neque ita Iudaei illi essent animo comparati, ut gratior ipsis liber graecus quam vernaculus esse posset.

QUAESTIO VI

Utrum ex hebraicis an ex graecis codicibus Matthaeus exscripserit prisca oracula, quae retulit in evangelium.

80 Quaeritur, utrum in evangelio Matthaei testimonia veterum scripturarum proferantur, ut sunt in hebraeis codicibus, an ut reddita graece fuerunt ab interpretibus. Quaestio autem haec a nonnullis eo dirigi solet, ut tandem concludant, qua lingua scripserit Matthaeus, syrochaldaica an graeca. Plures e veteribus, bosque inter Hieronymus [8]), et Io. Bernardus Derossi [9]) e recentioribus sensere illa testimonia hebraico ἀρχετύπῳ consonare. Verum res tota adcuratius examinanda est.

81 Ut autem quaestionis huius veluti naturam recte quis teneat, animadvertat oportet, etiamsi certum ipsi exploratumque sit, ut nobis est [10]), Matthaeum syrochaldaice scripsisse, nequaquam tamen, directe saltem atque ἀμέσως, quaerere eum posse, quomodo illa testimonia descripserit Matthaeus in ipso exemplari syrochaldaico, tum quia hoc pacto id poneret, quod nunc in quaestione est, Matthaeum syrochaldaice scripsisse, tum etiam quia, quum illud exemplar nuspiam supersit, siquidem aliunde ea res colligi posset, id non esset nisi ex huius exemplaris translationibus.

82 Quaerimus itaque solummodo, an in graecis, qui supersunt, Matthaei codicibus testimonia ex Vetere Foedere ita transcripta sint, ut consonent potius aut saepius hebraeo ipsius Veteris Foederis exemplari, quam graecis ἀπογράφοις, ubi haec ab illo discrepant; ubi vero haec atque illud eadem

---

[1]) Act. X, 28. [2]) Ib. VI, 1. [3]) De bello Prooem. §§ 1. 3. L. II. c. 13. § 7; c. 17. § 2; L. VII. c. 8. § 7; Antiq. L. XVI. c. 6. §§ 1. 8; L. XVIII. c. 9. §§ 8. 9; L. XX. c. 8. §§ 7. 9; Vita §§ 1. 11. 12; Cont. Apion. L. I. § 1 seqq. [4]) Antiq. L. XIV. c. 10; c. 12. §§ 4. 5; L. XVI. c. 6; L. XIX. c. 5. §§ 2. 3. [5]) De bello Prooem. et Cont. Apion. II. cc. [6]) *Lightfoot* op. cit. ad Matth. V, 22. 44. 46; XVIII, 17; ad Acta VI, 4; ad Rom. III, 12; ad I Cor. VII, 14. [7]) In Io. VII, 36; Act. II, 4; VI, 1. [8]) De vir. illustr. c. 3. [9]) Della lingua propria di Cristo, dissert. III. §§ 32. 33. [10]) Quaest. V.

habent, an graeci Matthaei codices ipsam graecam interpretationem ad verbum referant, an secus. Quam quaestionem ubi absolverimus, expendemus etiam quid ea momenti habeat ad illud, propter quod institui solet, definiendum, utra lingua scripserit Matthaeus.

83 Saltem *sex* supra *quadraginta* testimonia e veteribus scripturis deprompta numerantur apud Matthaeum. Ex his *octo* sunt, quae vel sententiam solum, non vero verba Veteris Testamenti exhibent [1]), vel verba quidem exhibent, ita tamen secundum adiuncta rerum praesentium immutata rebusque ipsis aptata, ut scriptor potius videatur ad illa respectum habuisse, quum ea protulisse [2]). *Quinque* vel *sex* supra *decem*, quae plus minusve discrepant tum ab hebraeo tum a graeco codice [3]). *Duodecim*, quae utrique ita consonant, ut tamen alexandrinam translationem ad verbum referant [4]). *Sex* aut *septem*, quae plus minusve ab hebraeo exemplari discrepant, consonant autem graecae translationi, imo, uno dempto [5]) aut altero [6]), sunt ipsa translatio alexandrina [7]). Denique reliqua *quatuor*, quae magis hebraicum exemplar referunt, quam graecam translationem [8]). Quare ex omnibus testimoniis Veteris Testamenti, quae in Matthaeo leguntur, cum hebraeo codice conveniunt *sexdecim*, ab eo autem discrepant *viginti duo*; cum graeco *undeviginti* aut *duodeviginti* conveniunt, discrepant vero *viginti* aut *undeviginti*. Manifesto vides saepius testimonia haec graeco quam hebraeo codici consonare. Illud modo adde, ex *sexdecim*, quae cum hebraeo conveniunt, *duodecim* esse ipsam translationem alexandrinam, ex *viginti*, quae a graeco discrepant, *sexdecim* et ab hebraeo discrepare. Iam tibi integrum est indicium ferre de eorum sententia, qui docent in graecis Matthaei exemplaribus scripturas veteres referri, sicut eas habet hebraicum ipsarum ἀρχέτυπον.

84 Nunc autem investigemus, quid ea convenientia vel discrepantia conducat sive confirmandae sive convellendae illorum sententiae, qui tenent, quod et ipsi tenemus, Matthaeum, non graece, sed syrochaldaice scripsisse. Aio, ad neutrum valere.

85 Ac primo liquet nihil inde esse, ex quo effici possit syrochaldaice scripsisse Matthaeum. Nam huic rei comprobandae argumento esse nequeunt, nisi summum ea testimonia, quae, quum aliter a graecis interpretibus reddita fuerint, ac sunt in hebraeo exemplari, in evangelio tamen Matthaei cum hoc exemplari magis conveniunt, quam cum illorum interpretatione. Talia autem non sunt nisi *quatuor* inter *undeviginti* ut minimum a Matthaeo producta atque aliter versa ab interpretibus graecis ac in hebraeis codicibus leguntur. Tum horum testimoniorum, quae in translatione alexandrina ipsum ἀρχέτυπον minime referunt, nonnulla et Marcus [9]) et Lucas [10]) ita retulerunt, ut hebraeis magis quam graecis codicibus consonent; num inde quis colligat Marcum et Lucam syrochaldaice scripsisse? Verum licet omnia omnino testimonia, in quibus referendis graeca volumina ab hebraeo exemplari discordant, protulisset Matthaeus, ut in ipso hoc exemplari leguntur, num id satis foret ad illud de Matthaeo pronuntiandum? Num Matthaeus, si graece scripsisset, alexandrina ἀπόγραφα debuisset necessario sequi, non autem ei, quantumvis graece scribenti, licuisset illa testimonia, ut apud hebraeos auctores sunt, producere, eaque sic graece reddere sine ullo respectu translationis alexandrinae? Sic et alios evangelistas interdum egisse suspicari saltem sinunt ea, quae modo de Marco et Luca diximus. Imo et Ioannes, etsi apud eum verba Veteris Testamenti reperire non sit, in quibus adferendis hebraeos potius, quam ab his dissidentes codices graecos, fuerit ipse sequutus, sequutus autem graecos non est nisi *quater* aut *quinquies* [11]), quaedam tamen occurrunt ita ab eo relata, ut, dum aeque ab hebraeis et a graecis diversus abiit, exemplar tamen hebraicum ante oculos habuisse videatur [12]).

86 Sed neque ex convenientia, quam quod ad illorum testimoniorum bene multa Matthaei evangelio et translationi alexandrinae esse cernimus, ulla consequutione conficitur, Matthaeum non syrochaldaice scripsisse, sed graece. Nam neque convenientiam hanc omnimodis constare iam animadvertimus, quum ex *triginta* et *octo* testimoniis ad verbum adlatis a Matthaeo non plura quam *decem et septem* aut *duodeviginti*, longe, inquam, minus quam dimidia illorum pars, translationem ipsam alexandrinam plane referant. Manifestum praeterea est interpretem, qui Matthaeum graece vertisset, potuisse verba Veteris Testamenti apud hunc reperta vertere, ut sunt in interpretibus alexandrinis,

---

[1]) Matth. II, 23; V, 21. 31. 33; XXII, 24. [2]) Ib. X, 35. 36; XI, 5; XVIII, 16. [3]) Ib. I, 23; II, 6. 18; IV, 10 ex cod. vat. 15; VII, 23; XI, 10; XII, 18; XIII, 15; XV, 4. 8; XXI, 5; XXII, 32. 37; XXVI, 31; XXVII, 9. [4]) Ib. III, 3; IV, 4. 6. 7; V, 38; IX, 13; XIX, 18; XXI, 13. 42; XXII, 39. 44; XXVII, 35. [5]) Ib. XIX, 5. [6]) Ib. IV, 10 ex cod. vatic. [7]) Ib. IV, 10 ex cod. alexandr.; XII, 21; XIII, 14; XV, 4; XIX, 5. 19; XXI, 16. [8]) Ib. II, 15; VIII, 17; X, 36; XXVII, 46. [9]) Marc. XV, 28. [10]) Luc. XIII, 27; XXII, 37. [11]) Io. II, 17; X, 34; XII, 38 ex cod. vatic.; XIX, 24. 36 ex var. lectionib. [12]) Expende Io. XII, 15. 40; XIII, 18; XIX, 37, eaque conf. cum hebr. et alexandrin.

vel, quod idem est, ipsam horum translationem vocibus syrochaldaicis Matthaei substituere, eo prorsus modo, quo ii, qui aetate nostra Matthaeum in hebraeam linguam transtulerunt, ubi illa verba vertenda occurrebant, ea ex bibliis hebraicis exscripserunt.

87 At enim, si res sic se haberet, eos locos omnes, aut saltem illos, qui apud Alexandrinos hebraicum ipsum ἀρχέτυπον plane referunt, ex horum voluminibus exscripsisset, qui Matthaeum graece vertit. Verum enimvero potior ratio non erat, cur id faceret graecus Matthaei interpres, quam ipse Matthaeus graece scribens, quem tamen constat minime id fecisse. Si autem Matthaeus graece, prout nonnulli autumant, scribens non semper interpretes alexandrinos in veteribus scripturis adlegandis sequutus est, quos neque ceteri evangelistae semper sequuti sunt, cur illos semper is sequi debuisset, qui syrochaldaicum, quale nos fuisse autumamus, Matthaei evangelium graecis literis consignavit?

88 Quae quum ita sint, iam intelligis ex veterum scriptorum testimoniis, quae hodie in Matthaei evangelio leguntur, nulla ratione Matthaeum argui posse una potius quam altera illarum linguarum in scribendo evangelio usum esse.

QUAESTIO VII

Num evangelia Hebraeorum, Nazaraeorum, Ebionitarum sint ipsum Matthaei evangelium syrochaldaicum.

89 In magna quaestione est illud, quod *evangelium Hebraeorum* vel *secundum Hebraeos* dixere veteres, an idem sit ac syrochaldaicum Matthaei evangelium, an idem ac evangelium sive Nazaraeorum, sive Ebionitarum, quod eadem lingua fuerat conscriptum, an omnia haec non sint nisi unicum origine evangelium, an vero singula diversis originibus. Qua in quaestione quum nulli sint, quos duces sequamur, praeter patres, nihilque de illis evangeliis compertum habeamus, nisi quae hi literis consignarunt, nemo, puto, negabit illam sententiam esse ceteris praeferendam, qua cum melius ac plenius cohaereant, quaecumque vel de evangeliis istis legimus apud patres, vel eruimus ex historia ab iisdem patribus nobis tradita eorum, quos sive Christianos sive haereticos *iudaizantes* vocare mos est, quique illis evangeliis usi esse feruntur. Historiam hanc ex operibus Irenaei, Tertulliani, Origenis, Philastrii, Eusebii, Epiphanii, Hieronymi, Augustini, et Theodoreti ediscere est. Nos vero in praesenti eorum solummodo rationem habebimus, quos certo constat evangelio aliquo syrochaldaico usos fuisse, hi vero sunt, praeter priscam ecclesiam hierosolymitanam, Nazaraei atque Ebionitae.

90 Itaque aio evangelium Hebraeorum esse ipsum Matthaei ἀρχέτυπον ita vocatum, quia in Hebraeorum indigenarum usum, horumque lingua conscriptum, atque ab his solum adhibitum fuit, illudque ipsum esse, quo, etsi ex parte immutato, usae sunt sectae illae ex Christianis iudaizantibus exortae, Nazaraeorum, inquam, et Ebionitarum. Quae ut clarius cuique pateant, res paullo altius repetenda est.

§ I

De Nazaraeis.

91 Priscam ecclesiam hierosolymitanam e Iudaeis coaluisse facile intelligimus. Hos vero distinctos fuisse in Hebraeos atque Hellenistas Acta apostolorum nos docent [1]); e quibus illi fuerunt indigenae, et vernacula lingua loquebantur, hi vero alienigenae graece loquentes [2]). Hebraeos primas in illa ecclesia gessisse ex illo ipso Actorum capite colligimus atque ex rei natura, nedum ex Eusebii testimonio, qui ita scripsit: *Universa Hierosolymorum ecclesia conflata erat ex* HEBRAEIS *fidelibus, qui iam inde ab apostolorum aetate ad illam usque obsidionem permanserant, qua Iudaei iterum a Romanis deficientes maximis praeliis domiti atque expugnati sunt, . . . anno decimo octavo imperii Hadriani* [3]), id est centum amplius annis ab huius ecclesiae institutione. Quod quidem eo quoque confirmatur, quod primi quindecim episcopi Hierosolymitorum, quot toto illo tempore hanc ecclesiam tenuere, fuerunt *Hebraei ex circumcisione*, ut narrant Eusebius [4]), Cyrillus Hierosolymitanus [5]), et Epiphanius [6]).

---

[1]) Act. VI, 1. [2]) *Lightfoot* Horae hebr. Addenda ad cap. XIV prioris epist. ad Corinth. c. I. p. 262. [3]) H. E. L. IV. cc. 5. 6. [4]) L. c. [5]) Catech. XIV. § 15. [6]) Haer. LXVI. § 20.

92 Ecclesia illa hierosolymitana anno XVIII Hadriani, CXXXIV aerae vulgaris, una cum totius gentis reliquiis dispersa, et graecis Christianorum ritibus graecaque lingua in ea regione succedentibus [1]), quum nulla iam ecclesia foret, quae ritus et caerimonias iudaicas observaret, sententiae discrepare coeperunt, ut eos, qui illas retinebant, nonnulli damnarent, alii vero absolverent, ut narrat Iustinus scriptor *σύγχρονος* his adsentiens [2]). Atque hinc origo atque exordia eorum Nazaraeorum, quos Epiphanius omnium primus haereticis adnumeravit [3]), et quorum ne nomen quidem a vetustioribus patribus commemoratur.

93 Neque enim citius neque serius, quam diximus, sectae huius initia esse potuerunt. Non citius, inquam. Quum enim nihil illi differrent a ceteris Christianis, nisi quod ritus iudaicos nonnullos servarent, quo et ecclesia hierosolymitana ad illud usque tempus differebat, quin ideo a quoquam damnaretur, aut aliena ac seiuncta ab universa ecclesia haberetur, neque ii pro haereticis haberi potuerunt, ex quibus imo illa ecclesia constaret. Sed neque serius. Praeter enim quam quod notum est ex haeresum historia sectas illas, quotquot prima rei christianae aetate proruperunt, ex Christianis iudaizantibus exortas esse, nemini veri simile videatur ex ecclesia aliqua, in qua nulla ratio haberetur legis mosaicae, nullusque hebraeae linguae usus foret, tales legis huius fautores hebraica lingua hebraicisque bibliis utentes prosiluisse. Quare Nazaraei nil fuisse putandi sunt nisi reliquiae priscae ecclesiae hierosolymitanae ritibus iudaicis adhuc addictae, huiusque ecclesiae interitus illorum sectae ortum dedisse. Id vero multis argumentis probatur. Omnino quippe esse perspicimus inter eam ecclesiam atque inter Nazaraeos nominis, gentis, locorum, et sententiarum convenientiam.

94 Christianis, qui in Iudaea primo exstitere, nomen *Ναζωραίων Nazarenorum* factum legimus in Actis apostolorum [4]). Qua de re loquentem audi Epiphanium: ***Nazaraeorum, id est Christianorum** secta, vocatus est per aliquod tempus a Iudaeis Christianismus, et ab apostolis, dicente Petro: Iesum Nazarenum virum adprobatum a Deo et cetera* [5]). *Postea ab Antiochia vocari coepit Christianismus* [6]). *Omnes Christiani tum pariter Nazaraei vocabantur* [7]). *Sed et omnes homines vocabant Christianos Nazaraeos, ut diximus, prout loquuntur accusatores Pauli apostoli* [8]) . . . . *Sanctus autem apostolus non abnuit quidem nomen et cetera.... Nec mirum quod apostolus confiteatur se ipsum Nazaraeum* [9]). Istud nomen deinceps Christianis semper mansit apud Iudaeos, ut colligimus ex scriptis Hieronymi [10]) et Epiphanii [11]), qui tamen eo deceptus videtur, quod putat hoc nomine a Iudaeis solos Nazaraeos, de quibus quaestio nobis est, designari; atque etiamnum nomine נוצרים *Nazaraeorum* ab illis vocamur [12]). Si itaque nomina ipsa adtenderis, magnum ex his momentum sententiae nostrae accedere senties. Neque enim aliquis dabit Bergiero [13]) ita illos esse vocatos, ut qui *separati* ab ecclesia haberentur, ac si nominis etymon foret נזר, non autem נצר. Nam primum ex נזר *Nasaraeorum* nomen est, non *Nazaraeorum*, quod discrimen quamquam Petavius neglexerit in sua Epiphanii translatione, non tamen ipse Epiphanius neglexit, cui *Nasaraei* sunt secta quaedam, non Christianorum, sed Iudaeorum [14]). Deinde haec nominis ratio communis foret omnibus haereticis, imo aliis magis quam Nazaraeis propria esset. Denique cur ad hanc sectam nominandam vocabulum hebraicum usurpatum putaremus?

95 Qui ipso sectae initio in ea censebantur, Iudaeos indigenas eos fuisse, non secus ac Christianos priscae ecclesiae hierosolymitanae, comperimus ex iis, quae de hac secta patres scripsere. Sed hoc idem confirmat usus, qui inter eos fuit, tum linguae Iudaeorum vernaculae, quam optime eos calluisse narrat Epiphanius [15]), tum Veteris Testamenti, quod non legebant nisi hebraice [16]). At, si isti gente quidem Iudaei indigenae fuerunt, religione vero Christiani, quum haeresis sive secta christiana non aliunde quam e Christianis manare posset, dicendi omnino sunt Nazaraei e Christianis priscae ecclesiae hierosolymitanae exorti fuisse, quod tamen alia ratione fieri non potuit praeter eam, quam superius diximus (93).

96 Morabantur Nazaraei in regionibus quibusdam Iudaeae finitimis, id est *in Beroeensi civitate . . . ad Coelen Syriam, atque etiam in Decapoli iuxta Pellam, et in Basanitide, in ea, quae vulgo Cocabe, hebraice Chochabe dicitur.* Ita Epiphanius [17]) adsentiente Hieronymo [18]). Id autem confirmatur etiam eo, quod Ebionitae, et ipsi e Christianis iudaizantibus oriundi, nomenque cum Nazaraeis, perperam tamen, subinde permutantes in patrum quorumdam scriptis, e quorum numero sunt Theo-

---

1) *Euseb.* l. c. c. 6. *Petav.* Not. ad *Epiphan.* l. c. 2) Dial. § 47. *Maranus* Praef. ad opera *Iustini* P. II. c. 8 et *Lequien* Dissert. damascen. VII. §§ 22—24. 3) Haer. XXIX. 4) Act. XXIV, 5. 5) Ib. II, 22. 6) Haeres. L. I. T. I fin. 7) Ib. XXIX. § 1. 8) Act. XXIV, 5. 9) L. c. § 5. 10) In Is. V, 18; in Amos. I, 11. 12. 11) L. c. § 9. 12) *Buxtorf* Lex. chaldaico-talmud. ad vocem נצר. 13) Dictionn. de Théologie *Nazaréens.* 14) Haeres. L. I. T. I. haer. XVIII. 15) Ib. XIX. § 7. 16) Ib. 17) Ib. 18) De viris illustr. c. 3.

doretus[1]) atque Origenes[2]), indidem ex illis regionibus exstiterint[3]). Atqui in illas ipsas regiones sub illud tempus, quo Hierosolyma diruta est, Christiani Hierosolymitae secesserant, ut memoriae prodiderunt Eusebius[4]) et Epiphanius[5]). Locus itaque apte congruit origini, quam Nazaraeis adtribuimus; imo locus nullus praeter hunc congruere potest. Rem vero totam aperte enarrat Epiphanius ita pergens: *Hinc enim, post illam ab Hierosolymis secessionem, illorum (Nazaraeorum) initia profecta sunt, quum Pellae discipuli, (id est Christiani), omnes habitarent. . . . Qua quidem occasione factum est, ut in Peraea iis, quibus diximus, locis degerent (Christiani). Indeque Nazaraeorum haeresis sunt deducta primordia*[6]), videlicet quum prisca ecclesia hierosolymitana, quae in eam regionem prius secesserat, tandem imperante Hadriano gentis totius exterminio involuta est, eiusque reliquiae in hanc sectam degenerarunt; neque enim prius accidere id potuit (93).

97 Quod denique ad doctrinas adtinet ac disciplinam nihil omnino differebant Nazaraei a Christianis illius ecclesiae, nisi quod in Nazaraeis improbari ea coeperint, quae in istis Christianis ad illud usque tempus tolerata fuerant. Iudaei enim, ex quibus illa ecclesia primo conflata est, a quibusdam institutis legum mosaicarum recedere recusarunt[7]). Huius rei testis est Iacobus, qui ita Paulum adloquebatur circa pentecosten anni aerae vulgaris LIII: *Vides, frater,* QUOT MILLIA *sunt in Iudaeis, qui crediderunt, et* OMNES *aemulatores sunt legis*[8]). Pharisaeorum tamen placita ac *πατροπαραδόσεις*, illas saltem quas Christus reprobaverat, eos fuisse aversatos facile dabis. Maiorum autem exempla sancte observasse, quotquot ecclesia hierosolymitana deinceps habuit ad annum XVIII Hadriani, CXXXIV aerae vulgaris, dubitare non est, quum vel ipsi episcopi toto illo tempore circumcisi essent (91). Iam vero haec omnia in Nazaraeis deprehendimus, nihilque aliud praeterea, quod improbemus, nedum errorem ullum, qui Christianorum dogmatibus adversaretur. Id luculenter nos docet Hieronymus[9]), quo, nemo est, qui magis Nazaraeorum sectam perspectam habuerit, deque ea locutus sit, plane autem evicit Lequien[10]), qui argumentis etiam e multis locis operum hieronymianorum depromptis demonstrat, quantum Nazaraei a Pharisaeorum commentis abhorruerint[11]). Epiphanius haec de Nazaraeis scripsit: *Hoc uno . . . a Christianis differunt, . . . quod iudaicis adhuc ritibus implicentur, velut circumcisione, sabbato, aliisque ceremoniis*[12]). Sed et Origenes, etsi Nazaraeos minime nominet, nobis tamen praesto est, quum duas Ebionitarum sectas distinguit, quarum alteri nihil proprium ait esse, nisi quod ritus Iudaeorum retineant[13]), quo satis declarat se de Nazaraeis loqui[14]). Imo et Iustinus Christianos memorat genere Iudaeos, qui, licet de Christo recte sentirent, quum tamen ritus iudaicos sectarentur, a nonnullis damnabantur, at eos venia dignos ipse putat[15]); hos vero num alios esse dicas quam Nazaraeos? praesertim quum apertissime haec Iustini verba primam huius sectae aetatem prodant, sub quam et Iustinus scribebat, et usus rituum mosaicorum iam coeperat improbari. Quis ergo iam dubitet Christianos ita sentientes agentesque, Nazaraeos inquam, reliquias fuisse ecclesiae hierosolymitanae iudaizantis? Neque obest, quod Epiphanius fateatur se nescire, an Nazaraei putarent Christum *simplicem hominem*, an *de Spiritu sancto ex Maria virgine genitum*[16]). Nam, quod Epiphanius id nescieverit, non eo concludes id reapse ita esse. Tum paulo prius ipse Epiphanius haec dixerat: Nazaraei *a Iudaeis nulla in re dissentiunt, . . . nisi quod in Christum credunt, . . . unum Deum annunciant, et huius filium Iesum Christum*[17]); quae quidem omnia non satis inter se conveniunt. Denique, quod caput est, hanc sectam minus cognitam Epiphanio fuisse suspicamur, quum non illud solummodo se nescire is fateatur, sed etiam an Ebionaeis priores fuerint[18]), an ab evangelio *γενεαλογίας* absciderint[19]). Multoque minus obest Theodoretus, qui Nazaraeis complures errores adfingit; manifesto quippe demonstravit Lequien eum, etsi utrosque commemoret, confudisse tamen, ut ita dicam, Nazaraeos cum Ebionitis[20]). Lege etiam Huetii Notas Origenis operibus adscriptas[21]).

98 Hic vero illud minime praeteribo, quin animadvertam, si historiam de Nazaraeis ita, ut proposuimus, mente concipias, levi negotio te nonnulla explanaturum, quae patrum scripta legentibus difficultatem creare solent. Ac primum, quod tam sero, id est non ante Epiphanium, Nazaraei haereticis adnumerati reperiantur, imo vel Nazaraeorum nomen nemo protulerit, ideo factum fuisse intelliges, quia id solum hi peccabant, quod centum amplius annis post rei christianae primordia non modo tamquam

---

[1]) Haeretic. fabul. L. II. § 1. [2]) Cont. Celsum L. II. § 1; L. V. §§ 61. 65. [3]) *Epiphan.* Haer. XXX. § 2. [4]) H. E. L. III. c. 5. [5]) L. c. [6]) Ib. [7]) Act. XV, 1. 2. 5. 24; Gal. II, 12. [8]) Act. XXI, 20. [9]) Ad Augustin. ep. CXII al. LXXXVII al. LXXIV. § 13; in Is. VIII, 11. 12; in Ezech. XVI, 16 etc. [10]) Dissert. damascenic. VII. [11]) Ib. §§ 9 seqq. [12]) Haer. XXIX. § 7. [13]) LL. cc. [14]) Lege adnotata a *Delarue* ad hos Origenis locos, auctoresque, quos nominat. [15]) Dial. cum Tryph. § 47. [16]) Haer. XXIX. § 7. [17]) Ib. [18]) Ib. § 1. [19]) Ib. § 9. [20]) L. c. §§ 18. 19. [21]) Ad *Origen.* Comment. observ. et not. p. 73.

peccatum haud improbabatur, sed observabatur ab ecclesia hierosolymitana omnium vetustissima. Ritibus autem graecis in ea suffectis simul esse coeperunt, qui eos, quos iudaicis ritibus adhuc addictos norant, damnarent, ut discimus ex Iustino (97); in quam tamen damnationem non statim neo brevi tempore sententias omnes convenire potuisse manifestum est, atque ideo, non modo Iustinum ipsum saeculo secundo, sed et Origenem saeculo tertio [1]) invenimus, qui Christianos illos iudaizantes minime damnandos putarent [2]). Intelliges quoque ex eadem historia, quid de illius sectae auctore sentiendum sit, quem patres vel reticent, vel aiunt se ignorare. Nullum quippe haec secta auctorem habuit, neque habere potuit, si ea e reliquiis ecclesiae hierosolymitanae iudaizantis exorta fuit; nec nisi sensim paullatimque est reprobata, donec omnino aliena haberetur atque avulsa ab ecclesia universa. Eximes praeterea tibi omnem illam dubitationem, quam patres adferunt, num Nazaraei Ebionitis vetustiores fuerint, an secus. Ebionitas quippe ante Hadrianum prorupisse colligimus ex eo, quod Irenaeus et Tertullianus Hadriano suppares ita de illis loquantur, ut qui iamdudum errores suos disseminarent. His vero Nazaraei haberi possunt vetustiores simul et recentiores. Vetustiores, inquam, si tempus adtendas, quo prisca ecclesia hierosolymitana adhuc stabat, quo tempore Nazaraei alii non erant, quam ipsi illius ecclesiae sectatores. Quam in rem apposite Epiphanius, etsi minus fortasse sibi cohaerens, haec ait: *Paulo post ascensum Christi Domini, . . . nonnulli prodierunt apostolorum assectae, Nazaraei videlicet isti, de quibus praesens institutus est sermo* [3]); nec secus Augustinus de Christianis iudaizantibus, quorum mentio est in Actis [4]), haec scripsit: *Ii sunt, quos Faustus Symmachianorum vel Nazaraeorum nomine commemoravit, qui usque ad nostra tempora . . . perdurant* [5]). Recentiores autem Ebionitis habendi sunt Nazaraei, si aetatem adtendas, qua, ritibus iudaicis ubique gentium reprobatis, pro haereticis haberi coeperunt.

§ II

De evangelio Hebraeorum.

99 Origine sectae Nazaraeorum satis, ut arbitror, declarata, iam levi negotio respondere possumus quaestioni, quae fit de eorum evangelio. Matthaeum enim ecclesiae hierosolymitanae praecipue scripsisse indubia res est [6]), ideoque Matthaei ἀρχέτυπον in ea servatum fuisse dubitatione aeque vacat. Quum vero haec ecclesia relictis ritibus iudaicis graecos adoptavit, ita ut iam libris hebraicis ac syrochaldaicis non ulterius uti posset aut indigeret, quid syrochaldaico illi ἀρχετύπῳ factum putes, nisi servatum fuisse ab iis ex eadem illa ipsa ecclesia Christianis, qui iudaicis ritibus renuntiare detrectarunt, quique soli iam intelligere illud valebant? Hi vero fuere, ex quibus deinceps Nazaraeorum secta conflata est. Quid igitur dubites, an evangelium, quod, ut Hieronymus [7]) testatur, syrochaldaice conscriptum Nazaraei legebant, fuerit ipsum ἀρχέτυπον Matthaei? Secus enim unde evangelium hoc suum eos accepisse dicamus? Num dices eos illud sibi confixisse? Verum, ut nemo e patribus id Nazaraeis vitio vertit, quod haereticis nonnullis, eos huiusmodi fraudes libris ex integro confingendis excogitasse, ecquis credat homines istos, qui quatuor evangelia omnia omnesque reliquos Novi Testamenti libros una cum bibliis hebraicis Veteris Testamenti adhibebant [8]), hoc quintum evangelium sibi confingere voluisse, illudque peccare, quod neque Cerinthiani peccarunt, neque Ebionitae, etsi isti unum evangelium Matthaei acciperent, cetera respuerent? Num illos, qui eo usque, dum in ecclesia hierosolymitana censebantur, Matthaei ἀρχέτυπον verum ac genuinum habuere, hoc reiecisse dicemus, ut falsum ac spurium sibi ficto sub Matthaei ipsius nomine compararent?

100 Pauca sane habes, quae opponas. Potissimum autem horum est discrepantia, quam deprehendimus inter evangelium Matthaei, quod habemus, atque inter illud, quod Nazaraei habuerunt. Attamen discrepantia haec non aliunde nobis innotescere potest, nisi e quibusdam fragmentis, quae ex evangelio Nazaraeorum nobis servarunt Origenes et Hieronymus, quorum alter centum viginti amplius annis, alter fermo trecentis post prima illius sectae exordia mortem obivit, quod temporis spatium hominibus ab ecclesiae unitate disiunctis satis fuerat ei volumini interpolando, quod ipsi solummodo habebant atque intelligebant; idque facinus obvium magis videtur, quam integrum opus conscribere ac pro evangelio venditare. Atque hoc ipsum est, quod Epiphanius nos docet, quum ait

[1]) L. XI. in ep. ad Rom. XI, 16; Cont. Cels. L. II. § 1. [2]) *Maranus* Praef. ad opera *Iustini* P. II. c. 8. [3]) Haer. XXIX. § 5. [4]) LL. cc. [5]) Cont. Faust. L. XIX. c. 18. [6]) Quaest. IV. [7]) Adv. Pelagianos L. III. § 2 et Comment. in Is. XI, 2; Praef. L. XVIII Commentar. de Is; in Matth. XII. 13; et *Epiphan.* l. c. §. 5. [8]) *Epiphan.* Haeres. XXIX. § 7.

Nazaraeos habere *το κατα Ματθαιον ἐναγγελιον πληρεστατον*[1]); quae vox *πληρεστατον* haudquaquam sonat idem ac *integrum*, quum mox Epiphanius dicat nescire se, an illi ex evangelio absciderint *τας γενεαλογιας*, sed significat *plenissimum* fuisse istud evangelium, quod multa in eo Nazaraei suppleverint. Talem vero vocis notionem in hac Epiphanii sententia comprobant ea, quae scripsit de evangelio Ebionitarum *κατα Ματθαιον ὀνομαζομενῳ οὐχ᾽ ὁλῳ δε πληρεστατῳ, ἀλλα νενοθευμενῳ και ἠκρωτηριασμενῳ*[2]); Ebionaei enim quaedam de evangelio Matthaei resecuerant, quaedam autem huic addiderunt, ideoque erat illud quidem *πληρεστατον plenissimum* ob multa in eo suppleta, verum *οὐχ᾽ ὁλον non ex integro*, quum quaedam resecta inde fuerint. Quae vero scripsit Hieronymus, evangelium Nazaraeorum fuisse, UT PLERIQUE AUTUMANT, *iuxta Matthaeum*[3]), vocatumque A PLERISQUE *Matthaei authenticum*[4]), adparet dicta esse de hoc evangelio, quale aetate sua fuit, quum propter illa, quae huic fuerant adiecta, iam neque Matthaei *authenticum* nec *iuxta Matthaeum* esse vere dici poterat. Denique, quod Ignatius referat[5]) quaedam Christi verba, quae leguntur in evangelio Nazaraeorum, non inde consequitur ea ex hoc evangelio ab Ignatio exscripta esse, ut nonnulli Hieronymum[6]) sequuti arbitrantur, quum aliunde Ignatio innotescere illa potuerint, ideoque frustra sunt, qui hoc argumento evincere nituntur aetate Ignatii Nazaraeos haereticos iam exstitisse ac suum evangelium confinxisse.

101 De evangelio autem Ebionitarum non secus ac de Nazaraeorum evangelio iudicium esto. Hi enim, quum haeretici forent, ex Christianis orti esse dicendi sunt (93. 95); quumque constet hos Iudaeos indigenas fuisse, imo Nazaraeorum conterraneos, prout memoriae prodidit Epiphanius[7]), dicendi quoque sunt vel ex ipsis Nazaraeis, vel ex ecclesia hierosolymitana iudaizante genus traxisse. Si quod igitur evangelium genuinum habuere, ab hac ecclesia id acceperant. Atqui, non secus ac Nazaraei, habuere Ebionitae evangelium lingua Iudaeorum vernacula conscriptum, ut narrant Epiphanius[8]) et Hieronymus[9]), utque ex verbis Eusebii colligimus[10]), quod unum ab illis adhibitum fuisse, praeter Eusebium[11]), testantur Irenaeus[12]) idemque Epiphanius[13]), neque abnuit Hieronymus[14]); illudque esse ipsum Matthaei *ἀρχετυπον* non modo eorumdem horum patrum testimonio comprobatur[15]), sed eo etiam fit manifestum, quod Ebionitae dicantur illud mutilasse (106) ac *γενεαλογιας* de illo resecuisse[16]). Acceperant itaque ab ecclesia hierosolymitana ipsum Matthaei evangelium, illud inquam ipsum, quod acceperant Nazaraei (99). Quare unum origine atque idem fuit evangelium, quod syrochaldaice a Matthaeo scriptum est, quodque postea sive Nazaraeorum, sive Ebionitarum evangelium est vocatum. Mirum autem non est, si temporibus Epiphanii et Hieronymi in aliquibus capitibus discreparent volumina huius evangelii, quae Nazaraei adhibebant, ab iis, quae adhibebant Ebionitae. Ut enim Nazaraei nonnulla in suis voluminibus suppleverunt, idem in suis praestitere Ebionitae, quaedam insuper inde resecantes. Compara historiam de Christi baptismo, ut eam refert Epiphanius[17]) ex evangelio Ebionitarum exscriptam, cum illa, quam ex evangelio Nazaraeorum refert Hieronymus[18]).

102 Quae cum ita sint, nemo, puto, suspicabitur adhuc, ne evangelium Hebraeorum vel *secundum Hebraeos* dictum, aut etiam *hebraicum*, ab lingua Iudaeorum vernacula exaratum[19]), aliud fortasse sit illo, de quo loquuti sumus. Antiquior sane esse videtur haec adpellatio, quam evangelii *Nazaraeorum*, cuius rei ratio adparet ex iis, quae dicta sunt (91. 92. 98). Idcirco ante Epiphanium evangelii *secundum Hebraeos* meminere Eusebius[20]), Origenes[21]), et Clemens Alexandrinus[22]). Quidnam tamen haec adpellatio designet, nisi, ut Eusebius quoque scripsit[23]), evangelium, quo Christiani genere Iudaei indigenae ac vernacula regionis suae lingua loquentes utebantur? Hi vero fuere primo Hebraei illi, quorum mentio est in Actis[24]), id est ipsa ecclesia hierosolymitana prisca aetate ex Hebraeis indigenis conflata (91); deinceps vero sectae illae Christianorum sive haereticorum iudaizantium ex eadem illa ecclesia exortae, ut Nazaraei atque Ebionitae. Quare evangelium Hebraeorum illud est, quo illa ecclesia illaeque sectae utebantur, ipsumque syrochaldaicum evangelium Matthaei. Certe adpellationes istas, sive *Matthaei*, sive *Hebraeorum*, sive *secundum Hebraeos*, sive *hebraici* promiscue usurpatas videas a patribus, ubi de Christianorum iudaizantium, de Nazaraeorum,

---

1) Haer. XXIX. § 9. 2) Ib. XXX. § 13. 3) L. c. 4) In Matth. XII, 13. 5) Ep. ad Smyrnaeos § 3. 6) De viris illustr. c. 16 coll. Praef. lib. XVIII Commentar. de Isaia. 7) Haeres. XXX. § 2. 8) Ib. § 3. 9) In Matth. XII, 13. 10) H. E. L. III. c. 27. 11) Ib. 12) Haeres. L. I. c. 26. § 2; L. III. c. 11. § 7. 13) L. c. 14) L. c. 15) l.L. cc. 16) *Epiphan.* l. c. §§ 13. 14. 17) Ib. § 13. 18) In Is. IV, 12. 19) *Epiphan.* l. c. § 3; *Hieron.* Adv. Pelagianos L. III. § 2; De viris illustrib. c. 2; in Mich. VII, 7. 20) H. E. L. III. cc. 25. 27; L. IV. c. 22. 21) In Matth. XIX, 18; in Io. I, 3. 22) Stromat. L. II. § 9. 23) H. E. L. III. c. 25. 24) Act. VI, 1.

de Ebionitarum evangelio loquuntur. Ita Eusebius, postquam narravit Matthaeum, *quum Hebraeis fidem praedicasset, ... evangelium suum patrio sermone* conscriptum his reliquisse [1]), ait evangelio *secundum Hebraeos* maxime delectari illos *ex Hebraeis, qui Christum susceperunt* [2]). Evangelium Ebionitarum Irenaeus dixit, *quod secundum Matthaeum est* [3]), Hieronymus ait vocari *a plerisque Matthaei authenticum* [4]), Eusebius *secundum Hebraeos* adpellat [5]), Epiphanius denique *secundum Matthaeum, . . . secundum Hebraeos, . . . hebraicum, . . . Matthaei* [6]). Nazaraeorum vero, quod evangelium *secundum Matthaeum* Epiphanius esse dicit [7]), Hieronymus vel *Matthaei* esse narrat [8]), vel credi a plerisque [9]) ac vocari [10]), vel ipse evangelium *Hebraeorum* vocat [11]), vel *iuxta Hebraeos* [12]).

103 Duo praeterea sunt minime omittenda, quae confirmant evangelium Hebraeorum esse, saltem origine, ipsum opus Matthaei. Unum est, quod *Hebraei* vocentur ii, quibus et quos inter Matthaeus scripsit evangelium [13]). Alterum est, quod evangelium *secundum Hebraeos* olim genuinum habitum fuisse comperimus ex his Eusebii verbis: IAM QUIDAM *et evangelium secundum Hebraeos inter haec (spuria sive dubia) adnumerant, quo maxime delectantur ii ex Hebraeis, qui Christum susceperunt* [14]). Cur huius evangelii *γνησιοτης* in dubium revocari coeperit, in caussa fuisse dicenda est discrepantia, quae deprehensa tandem est inter graeca Matthaei exemplaria interque istud evangelium pravo haereticorum studio sensim irrepsisse, quod facinus non serius aetate Clementis Alexandrini inceptum est [15]). Attamen, si olim hoc Hebraeorum evangelium genuinum habitum est, dicendum profecto est fuisse ipsum opus Matthaei.

104 Quare iam non est, cur negemus omnia haec, id est evangelium syrochaldaicum Matthaei, evangelium Hebraeorum aut secundum Hebraeos dictum, evangelium Christianorum iudaizantium, evangelium Nazaraeorum, evangelium Ebionitarum, non esse nisi plura nomina unius eiusdemque origine evangelii, quod tamen decursu temporum aliud atque aliud esse creditum est, quia quaedam addita, vel dempta, vel immutata non una ratione in eo sunt, aliter quidem a Nazaraeis, qui addiderunt solummodo, aliter ab Ebionitis, qui et addiderunt, et resecuerunt. Neque est, cur miremur Nazaraeorum atque Ebionitarum evangelia aetate Epiphanii et Hieronymi, non modo unum ab altero, sed et utrumque ab evangelio Matthaei discrepare visa esse. Ceterum horum evangeliorum reliquias congessit Io. Albertus Fabricius in *Codice apocrypho Novi Testamenti* [16]). De evangelio autem Tatiani, quod Epiphanius [17]) ait a nonnullis vocari *secundum Hebraeos*, paulo infra dicemus.

QUAESTIO VIII

An prima duo capita evangelii Matthaeo sint abiudicanda.

105 Prima duo capita primi evangelii nemo e tota antiquitate, nonnullis haereticis exceptis, qui de illo Christi genealogiam resecabant, Matthaeo non adiudicavit, eique horum possessio duodeviginti ferme saeculis stetit, donec Io. Williams Anglus [18]) et Fr. Andreas Strothius [19]) Matthaeo possessione hac deturbare conati sunt, iis rationum momentis, quorum praecipua Rosenmuellerus post Kuinoelium [20]) studiose refert, nec ea refellit, ac tantum non iis subscribit. Verum, si ea omnium praecipua sunt, nihil admodum est, quod Matthaeus sibi timeat ab istorum actorum cavillationibus, atque adeo his respondere supersedendum putarem, nisi e re nostra fore videretur, si specimen aliquod exhibeam praeclarae rationis, qua nonnulli vel inter ipsos Rationalistarum primores solent ratiocinari. Ipsum itaque Rosenmuellerum presso gressu subsequemur, illud praemonentes, ex adversariis quosdam esse, qui duo integra capita, alios vero, qui solam Christi genealogiam Matthaeo abiudicant.

106 *Desunt haec capita*, inquit Rosenmuellerus, *in eo, quo usi sunt Ebionaei, evangelio hebraico, cuius initium erat: Ἐγενετο ἐν ταις ἡμεραις Ἡρωδου βασιλεως της Ἰουδαιας κ. τ. λ. Matth. III. Epiphan.*

1) H. E. L. III. c. 24. 2) Ib. c. 25. 3) Ll. cc. 4) In Matth. XII, 13. 5) L. c. c. 27. 6) L. c. §§ 3. 13. 14. 7) Haer. XXIX. § 9. 8) De viris illustr. c. 3. 9) Adv. Pelagian. L. III. § 2. 10) In Matth. XII, 13. 11) In Ezech. XVI, 13. 12) In Is. XI, 11; in Ezech. XIX, 7. 13) *Iren.* Haeres. L. III. c. 1. § 2; *Euseb.* H. E. L. III. c. 24; *Chrysost.* in Matth. hom. I. § 3. 14) H. E. L. III. c. 25. 15) Expende *Clem. Alex.* l. c. 16) T. I. 17) Haeres. XLVI at. XXVI. § 1. 18) Apud *Rosenmüllerum* Schol. in Matth. I. p. 13. Norimbergae 1815. 19) Von Interpolationen im Evangel. Matth. in *Eichhorns* Repertor. IX Th. § 3. 20) Commentar. in Matth. pp. 11—17. Lips. 1807.

Haeres. XXX[1]). At Rosenmuellerus noster haec scribens oblitus est se quatuor ante pagellis negasse evangelium Matthaei esse evangelium Hebraeorum, quo Nazaraei et Ebionitae utebantur[2]). Quum tamen mutata sententia iam nobis adstipulari videatur, qui utrumque evangelium unum origine fuisse putamus[3]), aliis rationibus eum refellamus oportet. Imo eum refellit ipse Epiphanius, quo auspice pugnare se posse confidit. Is enim ea, quae initio leguntur in evangelio Matthaei, abfuisse narrat ab evangelio Ebionitarum, non quia evangelium Matthaei iis careret, sed quia illi de suis voluminibus ea absciderant; vocat enim Epiphanius Ebionitarum evangelium *νενοθευμενον και ηκρωτηριασμενον adulteratum et mutilum*, hancque subiicit rationem: *παρακοψαντες γαρ τας παρα τῳ Ματθαιῳ γενεαλογιας κ. τ. λ. rescindentes enim a Matthaeo genealogias etc.*[4]). At quidnam *abscidissent*, quod in Matthaei evangelio non erat? Et re vera idem ipse Epiphanius narrat Ebionitas Cerinthianorum instar solo Matthaei evangelio usos esse[5]); at Cerinthiani in suo evangelio genealogiam Christi descriptam habebant[6]). Si itaque eam non habebant Ebionitae, nisi malis dicere, quod nemo somniavit, a Cerinthianis evangelio suo adsutam fuisse, dicas necesse est a suo abscidisse Ebionitas. At enim *genealogia Christi, . . . pro sua de Christo sententia, speciose abuti potuissent* Ebionitae; quomodo igitur putari possunt eam abscidisse? Scilicet sollicitos nos esse oportet de modo, quo quid factum est, quum constat factum re ipsa esse. Illud potius quaerendum foret; si *γενεαλογια* illa, ut Rosenmuellero placet, Ebionitas iuvisset, neque eam, ut idem ipse adfirmat, unquam in suis voluminibus habuissent, cur non ex aliorum exemplaribus, verbi caussa Cerinthianorum, in quibus erat, illam exscripserunt? Ceterum, si ut testatur Epiphanius, illam Ebionitae absciderunt, dicendi sunt probe sensisse, quid ex ea emolumenti capere possent, eaque in re emunctis se magis naribus praeditos ostendisse, quam Carpocrates et Cerinthus, et fortasse etiam didicisse, quam misere his cesserit labor, quum illud caput Matthaei ad fulciendam sententiam suam pertrahere adnisi sunt. Cur enim scriptor, ut ceteros omnes singillatim a patre genitos dicit, verbi gratia: *Abraham genuit Isaac, Isaac . . . genuit Iacob, Iacob . . . genuit Iudam, et cetera*[7]), ubi ad Iesum pervenit, non aeque dicit: *Ioseph autem genuit Iesum*, sed nominat *Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus*[8])? Num haec Ebionitas iuvabant? Num eos iuvabant illa: *Maria inventa est in utero habens de Spiritu sancto*[9])? Num illa: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*[10])? Num Isaiae vaticinium de virgine paritura[11])? Poterunt ne Ebionitae his *speciose abuti pro sua de Christo sententia*? Liquet itaque, cur haec absciderint ab evangelio Matthaei; si tamen omnia haec absciderunt. Neque enim dubitatione vacat, ne, quod tamquam Ebionitarum evangelium commemorat Epiphanius, aliud re vera eo sit, atque illud fortasse, quod a Tatiano ex quatuor evangelistarum scriptis consarcinatum est, ac *δια τεσσαρων* dictum. Nam, aliud esse evangelio Ebionitarum, haec sunt, quae credere suadent. Ac primo, si Ebionitae, teste ipso Epiphanio[12]), Matthaei evangelio utebantur abscissis inde genealogiis, huius initium esse debuit ab illis verbis: *Cum esset desponsata mater eius*[13]), aut, si hoc quoque caput forte absciderant, ideo quia ipsorum erroribus adversaretur, saltem ab historia Magorum, aut a verbis: *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem*[14]), non autem, ut scripsit Epiphanius, a narratione gestorum Ioannis Baptistae. Praeterea initium illud, quale Epiphanius retulit, constabat verbis, non ex Matthaei, sed ex Lucae evangelio desumptis. Denique alia praeterea ex eodem illo evangelio ab Epiphanio proferuntur[15]), quae ab Ebionitis confingi non potuerunt, quippe quae contraria sunt opinioni, quam tum de Christo, tum de lege mosaica animo imbiberant, quod vel ipsi Epiphanio[16]) admirationi fuit[17]). Non aliud autem fuisse, quam Tatiani evangelium, credere ideo licet, quia, quum iste opus suum ex quatuor evangeliis composuerit, atque ipsis horum loquutionibus ac verbis, demptis solummodo genealogiis, et quaecumque Christi originem ex Davide proderent[18]), initium fecerat procul dubio a verbis, quibus Lucas exorditur: *Ἐγενετο εν ταις ἡμεραις Ἡρωδου του βασιλεως της Ἰουδαιας*[19]); atqui istud ipsum initium est evangelii Ebionitis ab Epiphanio adtributi. Quamquam autem apud Epiphanium haec verba legantur coniuncta cum narratione gestorum Ioannis Baptistae, non autem cum iis, quibus cum in primo Lucae capite coniunguntur, hoc tamen *σφαλματι μνημονικῳ* ipsius Epiphanii tribuere suadent tum gravis *μεταχρονισμος*, quo inducitur Ioannes *praedicans baptismum poenitentiae* Herode in Iudaea regnante, qui tamen Herodes iam ab annis viginti et octo vita fuerat defunctus, quem quidem *μεταχρονισμον* non erat cur fingerent Ebionitae, tum indicium manifestum, quo Epiphanius

[1]) L. c. [2]) Ib. pp. 8. 9. [3]) Quaest. VII. [4]) Haer. XXX. § 14. [5]) Ib. § 3. [6]) Ib. § 14; Haer. XXVIII. § 5. [7]) Matth. I, 2. [8]) Ib. 16. [9]) Ib. 18. [10]) Ib. 20. [11]) Ib. 23. [12]) Haer. XXX. §§ 3. 13. [13]) Matth. I. 18. [14]) Matth. II, 1. [15]) L. c. §§ 13. 14. 17. 22. [16]) Ib. § 14. [17]) *Maran.* Praef. opp. *Iustini* P. III. c. 12. § 6. [18]) *Euseb.* H. E. L. IV. c. 29 et not. *Valesii* in h. l.; *Theodoret.* Haeretic. fabul. L. I. c. 20. [19]) Luc. I, 5.

arguitur illa non ex aliquo volumine, quod haberet ante oculos, transcripsisse, sed memoriter retinuisse, nam intra unam pagellam bis illud exordium ex integro exhibet, retentis quidem prioribus verbis tempora designantibus, at reliquis non parum immutatis. Viderit modo Rosenmuellerus, an non ineptissime ex tali evangelio argumenta pro ea, in qua versamur, quaestione desumantur.

107 Facile iam iis, quae dicta sunt, illud quoque refelles, quod Rosenmuellerus addidit [1]), defuisse illa duo capita in evangelio Tatiani. Nam quid in evangelio Tatiani defuerit ex uno Theodoreto [2]) discere est, qui non illa duo capita *defuisse*, sed genealogias a Tatiano *abscissas esse* scripsit, et quidquid Christum ex Davide prognatum ostendebat. Quid autem Tatiani evangelium fuerit, modo descripsimus (106). Ne vero te remoretur Epiphanius, quum ait evangelium Tatiani a *nonnullis* vocari *secundum Hebraeos* [3]), memineris, quod te monui paulo supra (106), quodque hoc ipso, quod Epiphanius ait, confirmatur, Epiphanium habuisse Tatiani evangelium pro evangelio Ebionitarum, tametsi Ebionitarum evangelium, ut iam (101. 102) demonstravimus, unum idemque, origine saltem, fuerit ac evangelium *secundum Hebraeos*.

108 Aliud, quod Rosenmuellerus ait, defuisse illa duo capita *fortassis in eo etiam codice Nazaraeorum, quem Hieronymus habuit* [4]), unde ipse coniecerit, frustra disquiras, nisi forte ex eo, quod Epiphanius dicat nescire se, an Nazaraei a Matthaei evangelio, quo utebantur, absciderint genealogias [5]). De qua tamen Epiphanii dubitatione loquuti iam sumus (97).

109 Verum, pergit ille, *hoc saltem facile concedent omnes, sub initiis doctrinae Christi nec necessarium fuisse, nec conveniens consilio apostolorum, ut ore vel scriptis historiam infantiae Christi traderent* [6]). At enim nimis facile hoc sibi sumit; nullo quippe pacto nos concedimus. Nam, licet illud unum fuisset apostolorum consilium, quod vult Rosenmuellerus, ut evincerent Iesum esse Messiam, nonne consilio huic perficiendo *necessarium* erat, nedum *conveniens*, narrare, qua ratione vaticinia de Messia prolata Christus impleverit? Nonne id re ipsa apostoli praestitere [7])? Num vero ex horum vaticiniorum numero demenda erant, quae ad Messiae infantiam pertinebant? Sin autem haec quoque enarrare oportebat, qui id fieret omissa historia de infantia Iesu? Ut autem sententiam suam comprobet, hanc ille profert rationem: *Ex Actis apostolorum constat, apostolos in tradenda historia Christi* PLERUMQUE *hunc tenuisse morem et ordinem, ut initium facerent a confirmanda veritate resurrectionis Christi, cuius testes erant fide dignissimi* [8]). En tibi ratiocinationem oppido praeclaram, nisi in ea duo Rosenmuellerus noster peccasset, tum quod ponit id, quod falsum est, tum quod ex ea id colligit, quod minime consequitur. Ponit enim eamdem rationem, ac apostolus concionantes, tenere illos debuisse, qui evangelia scribebant. Tacite autem concludit, eo quod apostoli conciones exordirentur a Christo redivivo, Matthaeum omittere debuisse historiam de infantia Christi. Quin imo, si id ponamus, quod pronuntiat, sique id, quod ponit, accipiamus, concludere oporteret evangelistas libros suos a resurrectione Christi exordiri debuisse. Ceterum, quam vere Rosenmuellerus illud pronuntiaverit, is comperiet, qui Acta apostolorum perlegerit. Etenim ex locis fere viginti, in quibus Lucas apostolorum aliorumque sermones et conciones vel integre refert, vel commemorat, duo solummodo sunt, in quibus illud factum esse narratur, id est quum Petrus primam apud populum concionem habuit Hierosolymae [9]), quumque alteram habuit in concilio coram Anna principe sacerdotum [10]). Praeterea etiam Paulus in synagogis Antiochiae Pisidarum [11]) et Thessalonicae [12]) Christum revixisse fusius probavit, non tamen *initium fecit a confirmanda veritate resurrectionis Christi.* In aliis sive sermonibus sive concionibus apostolorum ac discipulorum vel nulla omnino, vel solum obiter iniecta mentio huius resurrectionis. Adtende insuper, ut eum morem illi tunc solum observaverint, quum Iudaeos adloquebantur, praesertim Hierosolymae, in qua urbe quum omnes Iesum in crucem sublatum vidissent, adparet, cur necesse foret demonstrare ante omnia eumdem hunc revixisse.

110 At enim, inquit Rosenmuellerus, *historia infantiae Iesu nec ad* PUBLICUM *de Christo testimonium pertinebat, nec ex earum rerum genere erat, quae proprio apostolorum testimonio comprobari poterant; his enim rebus non ipsi interfuerant, sed acceperant eas ab aliis hominibus fide dignis* [13]). Verum, fatear equidem, minus adsequor, quid sibi velit hoc in loco *publicum* illud de Christo testimonium. Nec magis intelligo, cur historia illa ad *publicum* hoc testimonium minime pertineret, pertineret tamen ad *privatum*, ut Rosenmuelleri sententia est, quum subiiciat continuo, verisimile esse, *Lucam, qui commentarios suos in usum privati hominis scripsit, primum fuisse, qui de infantia*

---

[1]) L. c. [2]) Haeretic. fabular. L. I. c. 20. [3]) Haeres. XLVI al. XXVI. § 1. [4]) L. c. [5]) Haer. XXIX. § 9. [6]) L. c. [7]) Act. XVIII, 28; XXVIII, 23. [8]) L. c. [9]) Act. II, 14 — 36. [10]) Ib. IV, 8 — 12. [11]) Ib. XIII, 16 — 41. [12]) Ib. XVII, 3. [13]) L. c. p. 14.

Iesu consignaverit, quae sciscitando rescisset [1]). De iis vero, quae ultimo scripsit, rogo, num apostoli, qui evangelia edidere, ea tandummodo narrare debuerint, quae ipsimet fieri a Christo viderant, ac dici audiverunt? cur Matthaeus et Ioannes haec solum, non autem et alia, narraverint? Sed apage iam ineptientis capitis deliramenta.

111 Ratio vero, propter quam Io. David Michaelis [2]) in suspicionem adduxit horum duorum capitum *γνησιοτητα*, nullius momenti esse potest iis, qui probe distinguere norunt inter sensum *literalem* et *spiritualem* scripturarum. Ideo enim negat ea capita genuinum esse foetum Matthaei, quia in his non semel scriptor pronuntiat vaticinia quaedam impleta fuisse, quum ea acciderunt, de quibus tamen vaticinia haec nequaquam prolata sunt; quod quidem numquam pronuntiasset scriptor *θεοπνευστος*. Hanc, inquam, rationem quisque refellet, qui norit nonnullis etiam vaticiniis, sicut et aliis bibliorum capitibus, duos sensus subesse, *literalem* alterum, alterum *spiritalem*. Quare, si vaticinia, quae refert Matthaeus, in sensum *literalem* accepta Christum minime designant, designant tamen, si accipiantur in sensum *spiritalem* [3]).

112 Qui contendunt vetustioribus patribus ignota fuisse haec duo capita, dicendi sunt neque Iulium Africanum legisse, neque Tertullianum, neque Irenaeum, neque Iustinum. Nam Iulius Africanus non modo studuit simul componere duas Christi genealogias, quarum alteram apud Matthaeum, alteram apud Lucam legimus, sed refellit insuper eorum conamina, qui ante ipsum hoc idem tentaverant [4]). Quae sunt in illis duobus capitibus, ea habent Tertullianus [5]) quoque et Irenaeus [6]). Iustinus vero historiam Magorum non retulit solum, sed iisdem verbis ferme transcripsit, ut est in Matthaeo, adeo ut vel ipsa veterum scripturarum verba in illo loco a Matthaeo producta retulerit, non ut leguntur apud graecos interpretes, sed ut in graecis Matthaei codicibus.

113 Quae argumenta petuntur ex quibusdam codicibus vetustioribus huius evangelii, vel vera non sunt, vel risu excipienda. Qua de re consule Hugum [7]) aut Cellerierum [8]). Quae vero suppeditat *ἐναντιοφανεια* subinde exsistens Matthaeum inter et Lucam, ubi locus erit, diluemus.

114 Unum praeterea verbum de commento Christiani Gottlob Storr [9]), cuius sententiam retulit Rosenmuellerus [10]), eaque sic est: ***Genealogiam hanc in familia Iesu repertam, et a propinquo Iesu ἀπιστῳ quodam usque ad Iesum continuatam, a Matthaeo praemissam esse evangelio suo.*** Cur vero *ἀπιστος* ille dicatur? Quia, inquit Storr, huic ***Iesus non erat ὁ Χριστος v. 17, sed ὁ λεγομενος Χριστος v. 16 coll. XXVII, 17. 22,*** loquutus videlicet est propinquus iste Iesu, sicut Pilatus loquutus esse dicitur, quia non credebat Iesum esse Christum. Oh lepidum capitulum! Ergo neque Caiphas Matthaeo creditus est fuisse is, qui erat, id est Caiphas, quia Matthaeus ita huius meminit: *του ἀρχιερεως του λεγομενου Καιαφα* [11]); imo Matthaeus ipse se Matthaeum esse minime credidit, quandoquidem ita se ipsum describit: *ἀνθρωπον καθημενον ἐπι το τελωνιον, Ματθαιον λεγομενον* [12]). Tum si *ἀπιστος* fuit ille scriptor, cur scripsit: ***Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus*** [13]), non vero, sicut constanter aliorum generationes descripserat: ***Ioseph autem genuit Iesum***, vel: ***Ioseph virum Mariae, de qua genuit Iesum?*** Sed vae nos boni viri, qui tales adversarios moramur.

115 Postremo velim haec duo animadvertas. Unum est particulam *δε autem*, quae est in Matth. I, 18, demonstrare manifesto evangelii initium non hic statuendum, sed aliquam eius partem iam esse descriptam, proinde illa vocula vel sola eos refelli, qui genealogiam huic evangelio ab alio quam a Matthaeo adsutam fuisse somniarunt. Alterum est hos homines, quominus effugium sibi quaerunt haec quoque verba tamquam spuria traducentes, prohiberi a particula *γαρ enim*, quae propositionem continuo insequentem cum verbis illis prioribus necessario connectit, aliaque ante se esse demonstrat; plenissime autem eosdem ipsos refelli pronomine *αὐτου eius*, quod necessario ad aliquem pertinet antea nominatum.

---

[1]) *Rosenmüller.* l. c. [2]) Introd. au N. T. traduite par *J. J. Chènevière* T. I. c. 5. sect. 2. etc. [3]) *Patritii* De interpretatione scripturar. sacr. L. I. c. XIV. q. 5. [4]) Apud *Eusebium* H. E. L. I. c. 7. [5]) Adv. Marcion. L. V. c. 9. [6]) Haer. L. III. c. 9. [7]) Einleit. § 74. nº. VI. [8]) Essai d'une introd. etc. pp. 339. 340. [9]) Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte p. 23. [10]) In Matth. I, 1. [11]) Matth. XXVI, 3. [12]) Ib. IX, 9. [13]) Ib. I, 6.

CAPUT II

De evangelio Marci.

Quam rationem in superiore capite sequuti sumus disserentes de Matthaei evangelio, eamdem in hoc quoque sequemur, in quo de Marci evangelio dicendum est. Primum igitur ea exponemus, quae ad ipsum Marcum pertinent, suntque in libris sive Novi Testamenti, sive patrum, tum, singulis quaestionibus, quo tempore, quibus, quo auctore, quo consilio scripserit Marcus.

QUAESTIO I

De ipso Marco.

1 Cuivis Marci evangelium legenti liquet nativum huic fuisse sermonem aramaicum, quod prodit vel una illa loquutio: *Γυνη, . . . ἧς εἰχε το θυγατριον αὐτης πνευμα ἀκαθαρτον Mulier, . . .* CUIUS *habebat filia* EIUS *spiritum immundum* [1]), illaque: CUIUS *non sum dignus procumbens solvere corigiam calceamentorum* EIUS [2]). Proinde est, cur Marcus credatur gente Iudaeus, aut certe Syrus.

2 Adamantius [3]), Dorotheus Tyrius [4]), si tamen fides est Procopio presbytero [5]), qui ait se eius commentaria exscripsisse anno DXXV [6]), quam fidem sive auctori sive exscriptori abrogant nonnulla in illud opusculum relata, quodque tertius quidam haec e Procopio deprompta referat [7]), Epiphanius [8]), Procopius Diaconus [9]), Nicetas Paphlago [10]), qui vivebat anno DCCCLXXX, et quidam scriptor, qui etiam olim Dorotheus Tyrius creditus est [11]), hi ergo Marcum numerant inter septuaginta duos Christi discipulos; cuius rei argumento illud esse videtur, quod ipsa narrationum ratio prodat eum scriptorem, qui testis oculatus fuerit rerum narratarum. Quum tamen ratio haec alii caussae, quae infra dicetur (62), tribui queat, quumque Hieronymus [12]), Eusebius [13]), et Papias ille priscus [14]), expresse negaverint Marcum ea vidisse, quae scripsit, quod Augustinus [15]) quoque, Theodoretus [16]), et Beda [17]), utque videtur, etiam Tertullianus [18]), negarunt, quum denique Petrus Marcum *filium suum* adpellaverit [19]), censerem potius in numero discipulorum Christi Marcum minime habendum.

3 Marcum hunc Pauli adiutorem atque administrum dixere scriptor Constitutionum apostolicarum [20]) et Adamantius [21]). Verum patres bene multi, interque hos Theodoretus [22]), Hieronymus [23]), Epiphanius [24]), Eusebius [25]), auctor Synopseos Athanasii nomine inscriptae [26]), Origenes [27]), Clemens Alexandrinus [28]), Tertullianus [29]), Irenaeus [30]), Papias [31]), Petri sectatorem atque discipulum, eumdemque interpretem, fuisse aiunt, nec desunt in Marci evangelio quaedam veluti notae atque signa, quae id comprobent, de quibus inferius agemus (61 — 63).

4 Illud autem non levem habet quaestionem, an Marcus, qui evangelium scripsit, cui in Actis apostolorum Ioanni cognomen est [32]), quem Petrus [33]), quem Paulus [34]) commemorant in suis epistolis, unus atque idem homo fuerit, an vero alius atque alius. In Petri epistola legimus: *Salutat vos . . . Marcus ὁ υἱος μου filius meus* [35]). De his David Iulius Pott ita loquitur: *Non multum repugnaverim, si quis* FILIUM *sensu proprio intelligere maluerit, . . . quia . . .* DISCIPULI, *non tam υἱοι, quam τεκνα, et quidem addito vel ἐν κυριῳ I Cor. IV, 17, vel ἐν πιστει I Tim. I, 2 dicuntur (in reliquis enim locis τεκνον absolute positum nonnisi pro amoris vocabulo habendum est)* [36]); quae quidem ratio non levis momenti est, eaque verissima, ita ut nec semel in Novo Testamento nomen υἱος aliud sonet, quam filium proprie dictum. Attamen nullum in tota antiquitate indicium reperimus,

---

[1]) Marc. VII, 25. [2]) Ib. I, 7. [3]) De recta in Deum fide sect. I. p. 806 inter opp. *Origenis* T. I ed. *Delarue.* [4]) Comment. de LXX Domini discipul. in fine Chronici paschal. p. 427. Paris 1688. [5]) Ib. p. 436. [6]) Ib. p. 434. [7]) Ib. p. 436. *Cave* Scriptor. eccles. [8]) Haer. LI al. XXXI. § 6. [9]) Encom. s. Marci initio Catenae in Marc. *Possini* et ap. *Bolland.* Acta sanctor. XXV april. p. 350. n. 2. [10]) Orat. in s. Marc. in Auctar. noviss. *Combefis.* P. I. p. 430. [11]) De LXXII discipulis in Biblioth. PP. Lugd. T. III. pp. 427. 429. [12]) Praef. Commentar. in Matth. [13]) Dem. evang. L. III. § 5. p. 121. Paris. 1628. [14]) Ap. *Euseb.* H. E. L. III. c. 39. [15]) De consensu evangelist. L. I. c. 1. § 2; Cont. Faust. L. XVII. c. 3. [16]) Praef. in Hist. relig. T. III. p. 763. Lut. 1642. [17]) In Marc. p. 1; Prooem. in Luc. [18]) Adv. Marc. L. IV. c. 2. [19]) I Pet. V, 13. [20]) L. II. c. 57. [21]) L. c. [22]) Ad Flavian. Constantinopolit. ep. LXXXVI. [23]) L. c.; In Is. LXV, 24; ad Hedib. ep. CXX al. CL. q. 11; De viris illustr. c. 3. [24]) L. c. [25]) L. c. p. 120. [26]) Opp. *Athanas.* T. II. p. 202. [27]) Commentar. in Matth. T. I ap. *Euseb.* H. E. L. VI. c. 25. [28]) Hypotypos. L. VI ap. *Euseb.* H. E. L. II. c. 15. [29]) Adv. Marcion. L. IV. c. 5. [30]) Haer. L. III. c. 1. § 2; c. 10 al. 11. § 6. [31]) Ap. *Euseb.* H. E. L. II. c. 15; L. III. c. 39. [32]) Act. XII, 12. [33]) I Pet. V, 13. [34]) Coloss. IV, 10; II Tim. IV, 11; Philem. 24. [35]) L. c. [36]) In h. l.

quo suspicari liceat Marcum hunc fuisse Petri filium. Origenes [1]) autem, Eusebius [2]), Hieronymus [3]), et fortasse etiam Papias et Clemens Alexandrinus [4]), tradunt hunc esse Marcum evangelii scriptorem. Imo Origenes putavit, quod *idcirco Petrus in epistola catholica eum filium suum agnoscit*, quia *evangelium, prout Petrus ipsi exposuerat, in litteras retulit*, ideoque ignoravit Origenes illam consanguinitatem; atque item loquendum de Hieronymo [5]). Ceterum, quum evangelii scriptor discipulus fuerit Petri, non est cur in dubium revocetur, an etiam idem ille sit, cuius Petrus meminit in epistola.

5 Paulus Marci, quem secum habebat, mentionem facit in epistolis, quas ad Colossenses et ad Philemonem [6]) simul misit [7]), quum primo Romae vinctus degehat [8]), et paulo ante quam vinculis solveretur [9]), eum vocat *adiutorem suum* [10]), aitque esse *ex circumcisione* [11]), hoc est Iudaeum. Meminit eius tertio, sed absentis, in epistola scripta ad Timotheum [12]) ex Urbe, quum iterum in vincula coniectus fuisset [13]), aliquot mensibus antequam necaretur [14]), atque haec scripsit: *Marcum assume, et adduc tecum; est enim mihi utilis in ministerium* [15]). Dubitare non est Marcum hunc, quem Timotheus iubetur secum Romam ducere, esse illum ipsum, quem Paulus una cum ipso Timotheo socium habebat, quum ad Colossenses et ad Philemonem [16]) scripsit; quum vero ad Timotheum hanc misit epistolam, constat cum eo Marcum minime fuisse, unum enim Lucam, neque alium praeter hunc, socium sibi esse conqueritur [17]).

6 Marcum vero istum a Paulo nominatum eumdem esse ac Ioannem Marcum, ut argumenta non sunt, quae certo credere nos cogant, ita nulla ratione, qui sic sentiunt, revinci queunt. Ioannes Marcus Hierosolymites fuisse videtur, nam mater eius domum habebat Hierosolymae [18]), ipseque ibidem degebat [19]). Anno aerae vulgaris XLII, quod ex iis, quae infra dicentur (11), adparebit, post diem festum paschatis [20]), Paulus et Barnabas, antequam apostoli renuntiarentur, quum Hierosolymam a Christianis Antiochiae degentibus missi fuissent [21]), inde reversi sunt *assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus* [22]). Haud multo post, quum Paulus et Barnabas apostolorum officio accepto ad id fungendum Antiochia profecti essent, Ioannes Marcus ipsos est comitatus [23]). Ut autem *venerunt Pergen Pamphyliae, Ioannes discedens ab eis reversus est Ierosolymam* [24]). Paulo post concilium Hierosolymae habitum de lege mosaica [25]) haud serius postremis mensibus anni aer. vulg. XLVII, quum Paulus et Barnabas Antiochiae commorarentur, *dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres per universas civitates . . . . Barnabas autem volebat secum assumere et Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum, ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non isset cum eis in opus, non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum, Paulus vero electo Sila profectus est* [26]). Quum vero epistolae ad Colossenses et ad Philemonem, in quibus Marcus Pauli discipulus nominatur, scriptae sint a Paulo extremo biennio, quo Romae primo vinctus degit, hoc est non citius extremo anno aer. vulg. LVII, ideoque decennio postquam ipse a Barnabae societate secesserat, quid vetat credere intra hoc tempus Ioannem Marcum Paulo reconciliatum interque huius comites denuo fuisse receptum? Enimvero id arguere est ex illis, quae Paulus iubet Colossenses: *Salutat vos . . . Marcus consobrinus Barnabae, de quo accepistis mandata, si venerit ad vos*, EXCIPITE *illum* [27]). Consanguinitas quippe haec Marci istius et Barnabae non levi fortasse argumento est, ut Marcus iste dicatur esse Ioannes Marcus; caussam enim commonstrat, cur tantopere hunc Barnabas dilexerit, atque adeo ut, ne eum desereret, a Paulo secedere non dubitaverit. Insuper illa mandata de Barnaba, quorum Paulus meminit, illuque: *Si venerit ad vos, excipite illum*, certo evincunt, quod epistola Corinthiis scripta quinque aut sex ante annis confirmat [28]), Paulum Barnabae reconciliatum, proinde et Ioanni Marco. Multo autem magis res sic se haberet, si illa verba, ut nonnulli autumant, etsi secus, ac ipsa res fert ipsaque sententia, non de Barnaba, sed de Marco dicta sint; cur enim iubendi erant Colossenses Marcum excipere, nisi quia minime excepturi erant, idque ob eius secessum a Paulo?

7 At Marcus iste Pauli adiutor unus ne idemque est atque ille, quem Petrus *filium suum* adpellavit? Scriptor Constitutionum apostolicarum [29]) ait quidem Marcum, qui evangelium edidit, fuisse Pauli adiutorem, idemque sensit Adamantius [30]), at neuter dixit eumdem hunc esse ac Petri discipu-

---

[1]) L. c. [2]) H. E. L. II. c. 15. [3]) De vir. illustr. c. 8. [4]) Apud *Euseb.* l. c. [5]) Conf. Comment. in Is. LXV, 23. 24. [6]) Ll. cc. [7]) Conf. Coloss. IV. 7—9 cum Philem. 10. 12. [8]) Coloss. ib. 3. 10. 18; Philem. 9. 10. 23. Conf. Philipp. IV, 22. [9]) Philem. 22. Conf. Philipp. II, 24. [10]) Coloss. ib. 11; Philem. 24. [11]) Coloss. ib. [12]) II Tim. IV. 11. [13]) Ib. I, 8. 16; IV, 16. 17. [14]) Ib. IV, 6. 8. 21. [15]) Ib. 11. [16]) Coloss. I. 1; Philem. 1. [17]) II Tim. IV, 11. [18]) Act. XII, 12. [19]) Ib. 25; XIII, 13. [20]) Ib. XII, 3. [21]) Ib. XI, 29. 30. [22]) Ib. XII, 25. [23]) Ib. XIII, 2—5. [24]) Ib. 13. [25]) Ib. XV, 36 coll. 1—30. [26]) Act. ib. 36—40. [27]) Col. IV, 10. [28]) I Cor. IX, 6. [29]) L. c. [30]) L. c.

lum, atque opinati fortasse sunt alium Petri discipulum esse, alium evangelii scriptorem. Hieronymus quoque, qui non semel scripsit [1]) Marcum evangelistam fuisse Petri discipulum, illumque ipsum, cuius Petrus meminit in epistola, putat eum, cuius mentio est in epistolis Pauli, esse Marcum evangelistam [2]), non tamen id adfirmat. Recentiores quidam, hosque inter Io. Leonhardus Hug [3]), quique huius libros in epitomen redegit, Io. Iacobus Cellerier [4]), unicum dumtaxat Marcum agnoscunt. Verum multa sunt, quae secus sentire nos iubent, et Marcum Pauli adiutorem a Marco Petri discipulo evangelii scriptore distinguere ac separare.

8 Equidem illud missum facio, quod Paulus videatur Marcum ideo consobrinum Barnabae adpellasse, ut eum ab altero Marco hac adpellatione secerneret. Illud gravius, quod veri minus simile videatur Marcum aut Petri simul et Pauli discipulum fuisse, aut alterutro relicto alteri sese adiunxisse, idque minus responderet Petri verbis Marcum *filium suum* adpellantis. Patres insuper longe plures ac vetustiores Marcum evangelistam Petri discipulum, numquam Pauli, adpellarunt; qui vero discipulum Pauli eum fuisse dixere, vix duos reperias (3).

9 Sed et historia Marcum a Marco distinguere nos cogit. Constat a Luca evangelium editum postquam Marci evangelium prodierat (13). Lucas, ut ipse testis est [5]), Acta apostolorum post evangelium conscripsit; conscripsisse autem haec illo biennio, quum primo Romae degit una cum Paulo, id est an. aer. vulg. LVI aut LVII, non una ratio est, cur credatur. Nam, ut scribendo minus opportunum erat tempus illud, quo Lucas Pauli socius laborum atque itinerum plurimis ac diversissimis curis distinebatur, ita nullum opportunius illo biennio. Sed ipse liber Actuum apostolorum maximum huic nostrae sententiae momentum adiungit, est autem modus, quo liber absolvitur. Nam Lucas, qui in posteriore libri parte minuta etiam rerum ac temporum adiuncta saepe persequitur, eorum tamen, quae a Paulo in Urbe duorum annorum spatio gesta fuere, et quae nosse referebat quam maxime, vix aliquid summatim indicat, totamque historiam concludit narrans, ut illic manserit toto biennio, neque verbum addit de illis, quae exinde gessit Paulus, imo neque huius ab Urbe profectionem memorat. Huius rei caussam aliam, ut puto, minime invenies, nisi si dicas librum a Luca scriptum esse ei inque eorum gratiam, quibus, utpote Romae degentibus, quae illic a Paulo gesta fuerant, perspecta erant [6]), absolutumque atque his relictum, ut Hieronymus quoque dixit [7]), quum Lucas in eo iam esset, ut una cum Paulo inde discederet, ideoque potuisse quidem Lucam narrare, quanto tempore Paulus Romae manserat, non tamen huius inde discessum, ne dum ea, quae postea facta sunt. Quare Lucae evangelium ante extremum illud biennium, etsi forte intra illud, iam prodierat in lucem [8]), aliquot igitur ante annis Marci evangelium editum fuisse putandum est. At Marcus, ut colligimus ex Eusebii et Hieronymi verbis [9]), atque Epiphanius expresse narrat [10]), post scriptum evangelium Alexandriam missus a Petro est ad constituendam regendamque illam ecclesiam. Non potuit ergo Marcus evangelii auctor cum Paulo esse tunc, quum is Romae morabatur.

10 Denique temporum ratio evincit alium esse Marcum Petri, alium Pauli discipulum. Petrus enim Marcum misit in Aegyptum, ut adparet ex historiis Eusebii [11]), atque legimus in huius Chronico, atque etiam in Hieronymi, antequam rex Agrippa maior vita excederet, quod factum esse an. aer. vulg. XLIII in alio loco (24) demonstrabimus. Anno octavo principatus Neronis, qui annus desinebat in a. d. III id. octobr. ann. aer. vulg. LXII, Anianus, ut Eusebius refert [12]), Marco successit in ecclesiae regimen, scilicet quia eo anno Marcus mortuus est, quod Hieronymus memoriae prodidit [13]). Non igitur potuit Paulus hunc Marcum socium habere, quum literas scripsit ad Colossenses et ad Philemonem, hoc est quum primo Romae moratus est ann. aer. vulg. LVI et LVII, multoque minus ad Timotheum scribere potuit, ut Romam veniens Marcum secum duceret, quam epistolam Paulus scripsit, quum iterum Romae esset postremo vitae tempore, hoc est an. aer. vulg. LXVI aut LXVII. Quas temporum rationes in alio loco ducemus, atque explanabimus (31 — 39).

11 Quod si Marcus Pauli socius idem ille erat, qui Ioannes Marcus nomen habet in Actis apostolorum, manifestius illud fit, quod defendimus. Agrippa Iudaeae regnum accepit a Claudio non ante exeuntem februarium anni aer. volg. XLI, quo anno sollemne paschatis Hierosolymae agere minime potuit. Haec comperta habemus ex historiis Iosephi [14]) et Dionis Cassii [15]). Proinde dies azymorum, quibus Agrippa Petrum in vincula coniecit [16]), fuerunt an. aer. vulg. XLII aut XLIII, qui Agrippae

---

[1]) LL. cc. [2]) Comment. in ep. ad Philemon. 24. [3]) Einleit. in die Schrift. des N. T. II Th. § 13. [4]) Essai d'une introduct. etc. pp. 274. 275. [5]) Act. I, 1. [6]) L. III. diss. I. n⁰. 25. [7]) De vir. illustr. c. 7. [8]) Cap. III. q. II. [9]) Chronic. coll. ll. cc. [10]) L. c. [11]) H. E. L. II. c. 16 coll. 14. 15. [12]) Ib. c. 24. [13]) De vir. ill. c. 8. [14]) Antiq. L. XIX. cc. 5. 6. [15]) Hist. L. LX. pp. 664—670. Hanov. 1606. [16]) Act. XII, 3.

supremus fuit (10). Paulo post illos dies Ioannes Marcus una cum Saulo et Barnaba Hierosolyma Antiochiam discessit [1], utque hi duo apostoli creati fuerunt, eorum socius itinerum fuit aliquo tempore, post quod Hierosolymam reversus est [2]. Non multo autem post concilium Hierosolymae habitum de lege mosaica [3], hoc est non serius anno aer. vulg. XLVIII prioribusque anni mensibus, sequutus est Barnabam in insulam Cyprum [4]. Quae temporum ratio nullo modo respondet illis, quae de Marco Petri discipulo atque evangelii scriptore modo dicta sunt.

12 Ioannes Leonhardus Hug [5] scripsit Marcum a Paulo, quum is primo Romae vinctus erat, in Asiam remissum sese denuo Petro adiunxisse, imo Ioannes Iacobus Cellerier ait id factum, quum post Pauli mortem Marcus in Asiam reversus est [6]; quae quidem merissima commenta sunt, eaque nemo accipiet, nisi qui nihil pensi haberi velit, quidquid de Marco deque Petro et Paulo memoriae proditum est a scriptoribus vetustissimis, non ipso dempto Irenaeo, cuius narratio illorum sententiae minime suffragatur, ut mox pervidebimus.

QUAESTIO II

Quando scripserit Marcus.

13 Sed iam de Marci evangelio dicere oportet, ac primum quando illud Marcus conscripserit. Ostendimus Matthaeum omnium primum edidisse evangelium [7], Ioannem autem postremum [8]. Superest definiendum, uter prior scripserit, Marcus an Lucas; cuius quidem rei indicia nonnulla iam suggerimus, plura vero inferius [9] suggeremus. Et siquidem id conficere velis comparatione instituta inter utrumque evangelium, argumenta tibi praesto erunt illorum similia, quibus ostendimus Matthaeum scripsisse ante Marcum et ante Lucam. Quibus et illud addendum, quod, quum constet librum eius, qui prior scripsit, notum fuisse ei, qui posterior, siquidem Marcus scripsisset post Lucam, ordinem temporum in rebus gestis referendis observasset, sicut Lucas observavit [10]; cur enim data opera ordinem hunc pervertisset? praesertim quum constet Marcum quoque ordini rerum gestarum observando interdum studuisse, utpote qui aliter disposuerit quaedam illorum, quae ex Matthaeo exscripsit, atque ita, ut respondeant ordini rerum a Luca narratarum. Ad haec actum Marcus egisset evangelium scribens post Lucam. Etenim, si quaedam rerum gestarum adiuncta demantur, nihil aliud in eius evangelio reperire est, quod aut Matthaeus aut Lucas non retulerit, praeter visum caeco restitutum Bethsaidae [11], Christum suis creditum in furorem agi [12], ac brevem Christi et scribae cuiusdam sermonem [13]; haec enim tria sunt, quae unus Marcus retulit. Praeterea a prima Christianorum aetate memoriae proditum est Lucam auctore atque adiutore Paulo apostolo scripsisse [14], ergo postquam is Paulo sese adiunxerat, quod videtur factum non esse nisi post annum aer. vulg. XLVII [15], procul dubio longe post illum annum, quo Petrus e carcere divinitus eductus [16] Romam venerat, qui annus fuit aer. vulg. XLII [17]. Atqui Marcus scripserat ante medium annum XLIII (49). Ceterum, ut alia argumenta omittamus, Marcum scripsisse ante Lucam totius antiquitatis testimonio efficitur, si unum demas Clementem Alexandrinum, qui secus sensit [18].

14 Quo autem anno evangelium a Marco scriptum sit, haud difficile foret definire, nisi obstare videretur testimonium scriptoris vetustissimi, Irenaei inquam; si enim huic, ut nunc legitur, credere oportet, deroganda necessario fides est non paucis eorum, quae a scriptoribus ceteris, atque adeo ante ipsum Irenaeum, de Petro, de Paulo, deque horum obitu, de Marco, deque Luca, et de ordine, quo evangelia in lucem prodiere, memoriae tradita sunt.

15 En Irenaei verba, ut nunc sunt: Apostoli et discipuli Christi, *postea . . . quam surrexit Dominus noster a mortuis, et induti sunt supervenientis Spiritus sancti virtutem ex alto, . . . exierunt in fines terrae, . . . qui quidem et omnes pariter et singuli eorum habentes evangelium Dei.* *Ὁ μεν δη Ματθαιος ἐν τοις Ἑβραιοις τῃ ἰδιᾳ διαλεκτῳ αὐτων και γραφην ἐξηνεγκεν εὐαγγελιον, του Πετρου και του Παυλου ἐν Ῥωμῃ εὐαγγελιζομενων και θεμελιουντων την ἐκκλησιαν. Μετα δε την τουτων ἔξοδον Μαρκος ὁ μαθητης και ἑρμηνευτης Πετρου και αὐτος τα ὑπο Πετρου κηρυσσομενα ἐγγραφως*

---

[1] Act. XII, 25. [2] Ib. XIII, 1—5. 6—13. [3] Ib. XV, 1—36. [4] Ib. 36—39. [5] Einleit. in die Schrift. des N. T. II Th. § 13. [6] Essai d'une introduct. crit. au N. T. p. 275. [7] Cap. I. n. 19. [8] Cap. IV. q. IV. [9] Cap. III. q. II. [10] Lib. III. diss. I. nn. 18—22. [11] Marc. VIII, 22—26. [12] Ib. III, 20. 21. [13] Ib. XII, 32—34. [14] Cap. III. q. IV. [15] Ib. q. I. n. 2. [16] Act. XII, 3—17 coll. XIII, 2. [17] 26 Ib. 26 seqq. [18] Ap. *Euseb.* H. E. L. VI. c. 14.

ἡμιν παραδεδωκε. Και Λουκας δε ὁ ἀκολουθος Παυλου το ὑπ' ἐκεινου κηρυσσομενον εὐαγγελιον ἐν βιβλιῳ κατεθετο. Ἐπειτα Ἰωαννης κ. τ. λ. Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et fundarent ecclesiam. Post vero horum excessum Marcus discipulus et interpres Petri et ipse, quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur, evangelium in libro condidit. Postea et Ioannes etc. [1]). Non ergo scripsisset Matthaeus ante annum vicesimum septimum a Christi obitu, non enim ante hunc annum Paulus Romam venerat; a quo commento immane quantum discrepant veterum omnium testimonia atque historiae [2]), eoque posito, vel illa respuenda erunt, quae superius (9) exposuimus de anno, quo Lucas evangelium suum conscripsit, vel dicendum tria evangelia intra biennium in lucem edita fuisse, vel certe, contra ac tota vetustas, uno dempto Clemente Alexandrino (13), testatur, ipsaque evangeliorum collatio credere cogit, hoc unum supererit, ut dicamus Marcum scripsisse post Lucam.

16 Quid autem sonant illa *μετα δε την τουτων ἐξοδον*? num exitum, excessum e vita, an ex Urbe? Si primum, iam ea forent commentitia, quae scripserunt Origenes, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, et Papias, qui a Ioanne presbytero haec acceperat, ut minime memorem Eusebium, Epiphanium, Hieronymum, aliosque (2. 3), hoc evangelium scriptum vivo Petro eoque probante, ne dum Marcum Alexandriam missum a Petro, imo vita defunctum sex annis ante Petrum (10), atque illud quoque, quod Marcus scripserit ante Lucam; ut enim ipse Irenaeus narrat, *Lucas . . . semper cum Paulo praedicavit, . . . et* CUM EO *evangelizavit, et creditus est referre nobis evangelium* [3]). Insuper postrema haec verba pugnarent cum dictis ab Irenaeo in illo superiore capite, quod explanamus, et in quo Lucam scripsisse post Marcum, etsi non expresse adfirmet, satis tamen aperte nos docet; qui enim fieri potuisset, ut Lucas *cum Paulo referret nobis evangelium*, si id scripsisset post Marcum, Marcus vero post excessum Pauli? Denique, si *ἐξοδος* in hoc loco foret idem ac excessus e vita, non *κηρυσσομενα* et *κηρυσσομενον* tempore praesente, ut Irenaeus scripsit, sed *κεκηρυγμενα* et *κεκηρυγμενον* tempore praeterito scribendum fuisset. Sin autem *ἐξοδος* significat discessum duorum apostolorum ex Urbe, Marci evangelium editum non fuisset nisi post illud biennium, cuius mentio est in fine libri Actuum apostolorum, neque enim prius potuit unquam Roma discedere Paulus, qui tunc primo illuc venerat; scripsisset igitur Marcus non ante extremum ianuarium anni LVIII, quo tamen tempore Lucam iam scripsisse iure credimus (9), ipseque Marcus, cuius rei Eusebius auctor est (10), iam quintum decimum annum agebat in regimine ecclesiae alexandrinae.

17 Difficultatem hanc facile perrumperes, si pro *τουτων ἐξοδον* legeres *τουτου ἐκδοσιν*, hoc est post *editum* Matthaei evangelium. Sic enim Irenaei verba legit Christophorsonus in Eusebio, sic etiam, ut Grotius testatur [4]), ea leguntur in vetusto quodam codice; praeterea in Catena patrum graecorum [5]), quam Possinus edidit, putavitque conscriptam circa medium saeculi V, haec Irenaei verba ita sunt: *Μετα την του κατα Ματθαιον εὐαγγελιου ἐκδοσιν Post evangelii secundum Matthaeum editionem.* Verum, utrum Christophorsonus ex aliquo Eusebii exemplari, quod nemo adhuc vidit, an ex coniectura acceperit illud *τουτου ἐκδοσιν*, incertum. Incertum quoque, an codex, quem Grotius testem adpellat, Irenaei opera contineat, an Eusebii; nec facile intelligimus, qui factum sit, ut hic codex lateret viros eruditissimos, qui vel Irenaei vel Eusebii opera ediderunt, suisque commentariis illustrarunt. Mihi quidem verisimile plane fit id hausisse Grotium ex Christophorsono. Illud autem gravissimum, quod tum vetus Irenaei interpres, tum Ruffinus, qui Eusebium latine vertit, non *τουτου ἐκδοσιν*, sed *τουτων ἐξοδον* legerunt; quorum auctoritas, vereor, ut illius Catenae pondere queat compensari.

18 Haec autem, etsi fusius fortasse, exponenda existimavi, quo securior, quid sentiam de Irenaei verbis, edicerem. Nam una interpunctionis immutatio eaque levissima, nec tamen inanibus argumentis fulta, illam dissensionem, si non omnem, at maximam profecto partem sustollet, quae, quod adtinet ad Marci evangelium, inter Irenaeum interque patres ceteros esse fertur. Dele, inquam, punctum insertum inter ea, quae de Marco, interque ea, quae de Luca dicuntur, ut posteriora haec aeque, ac illa priora, dependeant a verbis *μετα δε την τουτων ἐξοδον*, sensusque erit tum Marcum tum Lucam tradidisse nobis evangelium post Petri et Pauli profectionem ab Urbe, Marcum videlicet post Petri profectionem, Lucam post Pauli. Neque illud te praetereat, haudquaquam dicere Irenaeum, evangelium conscriptum, sed *traditum* post Petri discessum, hoc est, discedente Petro ab Urbe, evangelii

---

[1]) Haer. L. III. c. 1. [2]) Cap. I. q. III. [3]) L. c. c. 14. § 1. [4]) Comment. in Marc. init. [5]) In Marc. init. p. 5.

librum a Marco conscriptum Romanis relictum, itemque dicendum de Lucae evangelio. Illud autem punctum delendum esse non una ratio suadet.

19 Primum adtende hoc Irenaei caput aliquid passum esse a librariorum manibus, idque iam a primis aetatibus; cuius rei plus simplici indicio habemus. Illa enim, quae ante haec leguntur, et quibus superior periodus absolvitur, *qui quidem pariter et singuli eorum habentes evangelium Dei*, ecquis minime sentiat mutilam sententiam exhibere? Quid vero, quod in latinis operum Irenaei exemplaribus, quae primus omnium Erasmus edidit, ne mentio quidem Lucae habeatur aut huius evangelii? hanc autem lacunam, quam Feuardentius iis explevit, quae in aliis exemplaribus tum Irenaei tum Eusebii reperiebantur, esse antiquissimam illud argumento est, quod Ruffinus Eusebium vertens illam Lucae huiusque evangelii mentionem nec inter ea repererit, quae ipse Eusebius transcripsit ex Irenaeo. Nequit ergo in dubium revocari vitiatum esse hoc operum Irenaei caput iam a primis aetatibus. Deinde animadverte, ut Irenaeus, siquidem punctum illud ipse inseruisset, nihil nos hoc in loco expresse docuisset de tempore, quo Lucas edidit evangelium, quum tamen doceat, quo tempore reliqui tres id fecerint. Illa autem *Μαρκος ὁ μαθητης και ἑρμηνευτης Πετρου, . . . και Λουκας . . . ὁ ἀκολουθος Παυλου*, videntur duo unius eiusdemque periodi membra esse invicem respondentia, atque illud comprehendentis, quod Irenaeus *μετα την τουτων*, Petri et Pauli, *ἐξοδον* gestum narrat. Quum vero mecum ipse haec expendebam, deprehendi Grabium, tametsi punctum delere non fuerit ausus, ea tamen margini adscripsisse, ex quibus adparet haec verba ita intellexisse, ut ego intelligo.

20 In iis autem interpretandis, quae Irenaeus scripsit de Matthaeo, ipsi nobis difficultates nectimus, cum verbis *του Πετρου και του Παυλου ἐν Ῥωμῃ εὐαγγελιζομενων και θεμελιουντων την ἐκκλησιαν* tempus designari putamus, quo a Matthaeo editum fuit evangelium. Equidem tempus disco ex verbis *ἐν Ἑβραιοις*, id est quum Matthaeus adhuc in Iudaea versaretur inter Hebraeos, quo nomine illa aetate, qua Matthaeus scripsit, vocabantur, atque a ceteris distinguebantur Christiani, ex quibus constabat ecclesia Hierosolymitana legum mosaicarum adhuc tenax [1]). Verba vero *του Πετρου* et cetera, quum ea sint casu nominis, ut vocant, absoluto, quid cogit nos in illum sensum accipere? Profecto nec vetus Irenaei interpres, neque Rufinus ita haec verba latine transtulerunt, ut ex horum translationibus illiusmodi sensum colligere necesse sit, quum particula *cum* aliud quam tempus, quo quid factum est, possit significare. Quid igitur, inquies, ea verba significent? At, quamquam, quid significent, minime adsequamur, num ideo talem sensum his adfingemus, quem neque praeferunt necessario, neque praeferre possunt, quin pugnent cum aliorum scriptorum, etiam Irenaeo vetustiorum, testimonio? Ceterum fortasse dicere is voluit non aliud evangelium Hebraeis scriptum a Matthaeo, quam quod Romanis traditum est a Petro et a Paulo, quum Romae ecclesiam constituerent. Forte etiam verba *cum Petrus et Paulus et cetera* non cum prioribus iunxerat, sed cum posterioribus, et punctum, quod modo est post illa, ante illa posuerat, ut sensus foret Marcum et Lucam, *cum Petrus et Paulus Romae praedicarent, et fundarent ecclesiam*, atque adeo *post horum* inde *profectionem*, evangelium a se conscriptum nobis tradidisse. Neminem, puto, quominus haec accipiat, impediet omissa particula *δε* inter verba *του Πετρου*. Quid plane simile legere est apud Irenaeum ipsum paulo inferius: *Μετα δε τουτον Τελεσφορος· ἐπειτα Ὑγινος· εἰτα Πιος, μεθ' ὁν Ἀνικητος. ΔΙΑΔΕΞΑΜΕΝΟΥ τον Ἀνικητον Σωτηρος νυν δωδεκατῳ τοπῳ . . . Ἐλευθερος κ. τ. λ.* [2]); adnota, ut utroque in loco series rerum narratarum continuetur casu nominis absoluto omissaque particula *δε*, quam multo magis praestitit omittere in illo loco priore, de quo agimus, quum mox adhibenda esset in verbis *μετα δε τουτων ἐξοδον*.

21 Quae quum ita sint, totum hunc locum Irenaei sic interpungerem: *Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit evangelii. Cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et fundarent ecclesiam, post vero horum exitum, Marcus, discipulus et interpres Petri, et ipse, quae a Petro annuntiabantur, per scripta nobis tradidit, et Lucas autem sectator Pauli et cetera.*

22 Equidem haec de hoc Irenaei loco edisserueram, quodque difficultatis caput erat, sublatum prorsus esse sentiebam, utque etiamnum sentio. Non tamen diffiteor vereri me, ut nomen *ἐξοδος* Petri et Pauli profectionem ex Urbe possit significare, tum quia videretur Irenaeus illud positum habuisse, eos semel ex Urbe profectos numquam in hanc esse reversos, tum quia tota *συνταξις* vix patitur, ut nomen hoc simpliciter usurpatum credamus pro *ἐξοδον ἐκ Ῥωμης*. Verum huic quoque rei subventum est a quodam e meis auditoribus, qui me animadvertere iussit, quod nemo adhuc, quantum scio, animadverterat, ut nomen *ἐξοδος* in hoc loco significet utique *exitum*, non tamen Petri et Pauli

---

[1]) Cap. I. n. 91. [2]) Haer. L. III. c. 3. § 3.

ex Urbe, sed omnium apostolorum ad ceteras gentes docendas; hunc enim proxime commemoraverat Irenaeus illis verbis EXIERUNT *in fines terrae*. Etenim in eo capite narrat, quomodo *veritatem, hoc est Dei filii doctrinam cognovimus*[1]), aitque id factum, *non per alios, . . . quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod illi* PRIUS *praeconaverunt,* POSTEA *vero per Dei voluntatem nobis in scripturis tradiderunt.* Mox rem plenius explicat verbis, quae superius (15) retulimus, et quorum summa sententiae haec est: Apostoli EXIERUNT *in fines terrae evangelizantes et omnes et singuli habentes evangelium Dei*, hoc est librum evangelii. Matthaeus enim *in Hebraeis*, id est quum adhuc esset in Iudaea, et antequam illi EXIRENT *in fines terrae*, non tantum voce evangelium praedicavit, sed ET *scripturam edidit evangelii. Post vero horum* EXITUM, postquam, inquam, apostoli *omnes* EXIERUNT *in fines terrae*, et Marcus et Lucas evangelium literis consignarunt. Sed de Irenaeo satis.

23. Marcum igitur evangelium suum edidisse constat, *postea quam* apostoli ex Iudaea PROFECTI *praedicaverant* UBIQUE[2]), atque adeo quum alias quoque gentes, quam Iudaeos, docere iam coeperant; hoc autem factum minime est statim, postquam Christus in caelum reversus est[3]), sed multo serius, neo ante sex annos ut minimum (47). Omnino autem Marcus videtur scripsisse vel postremis mensibus anni aer. vulg. XLII, vel certe ante medios insequentis XLIII. Id enim Romae factum esse Petro auctore aut saltem probante, nec sine ipsius ope, discimus ex iis, quae aiunt Hieronymus, Epiphanius, auctor Synopseos Athanasii nomine inscriptae, Eusebius, Clemens Alexandrinus, et Papias (2. 3); atqui Petrus Romam primo venit post pascha an. aer. vulg. XLII, Marcus post scriptum evangelium missus ab eo est ex Urbe in Aegyptum, Claudio imperatore, antequam rex Agrippa maior vita decederet, cuius mors incidit in medium annum XLIII, aut non multo serius (10. 11). Quae quidem plenius exponere atque explanare iuvat, utpote unum praecipuorum locorum, e quibus ratio temporum in historia Novi Testamenti petenda est.

24 Aio regem Herodem Agrippam supremum diem obiisse verno aut summum inita aestate anni aer. vulg. XLIII. Etenim a Iosepho dicitur vita functus esse *annum agens regni septimum*[4]). E carcere, in quem Tiberius eum coniecerat, eductus a Caio regnare coeperat aliquot diebus post ipsius Tiberii decessum[5]), qui incidit in a. d. XVII kal. april. ann. aer. vulg. XXXVII, imo, ut colligimus ex historiis Dionis, eductus e vinculis non fuit, nisi post quam Caius ad imperium evectus primam orationem habuit in senatu a. d. VI kal. april.[6]). Liquet igitur initium regni Agrippae duci serius non potuisse quam a neomenia nisanis huius anni[7]), ideoque septimum annum regni non serius inchoatum, quam a neomenia nisanis ann. aer. vulg. XLIII. Sed neque altius, hoc est a neomenia nisanis anni aer. vulg. XXXVI, repeti regni Agrippae exordia possunt; nam neomenia nisanis anni XXXVII incidit in diem prid. non. mart., viginti inquam amplius diebus, ante quam Agrippas regnum esset adeptus. Quod si cui intercalationis illo anno habitae suspicionem ingererent ea, quae legimus apud Iosephum[8]), nuntium de obitu Tiberii a Vitellio Hierosolymae acceptum fuisse, quum illic *festum patrium* ageretur, is animadvertat nihil esse, quo necessario efficiatur sollemne paschatis illud fuisse, sed pentecostes. Itaque, quum Agrippa decessit, inquit Iosephus, *τριτον ἐτος αὐτῳ βασιλευοντι της ὁλης Ἰουδαιας πεπληρωτο tertius annus effluxerat, ex quo totius Iudaeae regno potiebatur*[9]); proinde annus iste tertius idem erat, qui sextus regni. Iudaeam Claudius, qui Caio successerat a. d. IX kal. febr. an. aer. vulg. XLI, Agrippae regno contribuerat non multo post adeptum imperium[10]), uno inquam mense aut paulo amplius[11]), non ergo serius, quam exeunte februario aut martio ineunte; sed et ante mensem nisan, cuius interlunium eo anno incidit in. a. d. XIII kal. apr. Quare initium trium annorum, quibus Iudaeam obtinuit Agrippa, repetendum est a neomenia nisanis superioris anni aer. vulg. XL. Igitur si primus regni Agrippae annus incepisset die neomeniae nisanis ann. aer. vulg. XXXVI, septimi initium a neomenia nisanis anni XLII foret ducendum, ipseque Agrippa, decedens anno regni septimo, tertium, ex quo Iudaeae quoque imperabat, non implevisset, contra ac Iosephus testatur. Constat ergo regni Agrippae exordia peti ex neomenia nisanis anni aer. vulg. XXXVII, ideoque anno regni septimo, quo diem supremum is vixit, initium fuisse neomeniam nisanis an. aer. vulg. XLIII, quae incidit in postremos dies mensis martii. Sed modus ipse, quo Iosephus loquitur, narrans Agrippam vita excessisse, quum regni *τριτον ἐτος πεπληρωτο tertium annum compleverat*, praesertim si integrum caput perlegeris, te vetabit credere Agrippam plures adhuc menses vixisse post completum annum illum tertium, qui regni sextus fuerat. Igitur pro explorato habetur Agrippam

[1]) L. c. Praef. [2]) Marc. XVI, 20. [3]) Act. I, 4. 5. [4]) Antiq. L. XIX. c. 8. § 2. [5]) *Joseph.* ib. L. XVIII. c. 6. § 10. [6]) Histor. L. LIX. p. 644. [7]) L. III. diss. XIX. n. 6. [8]) Antiq. L. XVIII. c. 5. § 3. [9]) Ib. L. XIX. c. 8. § 2. [10]) Ib. c. 5. § 1 coll. cc. 1—4. [11]) *Dion.* L. LX. pp. 666. 670.

anno aer. vulg. XLIII, non ante mensem aprilem, at procul dubio pluribus mensibus ante extremum annum, mortem obiisse.

25 At enim nonne illa verba Iosephi ἄγων ἔτος της βασιλειας ἕβδομον verti possunt *quum egisset annum regni septimum*, tresque anni, quot Agrippa Iudaeam tenuit, nonne numerari possent initio ducto ab eo die, quo illam acceperat a Claudio, ita ut annus tertius concurrerit cum anno septimo regni, qui desiit in diem pridie neomeniae nisanis anni aer. vulg. XLIV, quo anno mortuum Agrippam non pauci, interque hos Petavius noster [1]), dixerunt? Equidem rem sic se habere minime diffiterer, si illud ἀγων esset tempore aoristo, non autem praesente; at contra esse non una ratione convincitur. Etenim id accentus nos docet, quum non ἀγὼν scriptum sit, sed ἄγων. Huic scriptioni Eusebius fidem adiungit [2]) referens haec Iosephi verba; nam et ipse scripsit ἄγων. Porro Eusebium ita scripsisse testis est Ruffinus Eusebii interpres, a quo pro ἄγων redditum est *agens*. Tum ipse Iosephus in libris de Bello iudaico Agrippae principatum sex annis definierat [3]); quae quidem non alio pacto componas, nisi si dixeris Agrippam sex annos regni explevisse, septimum vero non item, sed solum incepisse.

26 Quae quum ita sint, iam concludere est Marci evangelium editum esse ante medium annum aer. vulg. XLIII. Quod autem non ante extremum annum XLII, id quoque manifesta ratione conficitur. Petrum Romam primo venisse, quum Claudius imperium teneret, memoriae prodiderunt Eusebius [4]), Hieronymus [5]), Prosper [6]), Paulus Orosius [7]), Isidoris Hispalensis [8]), Cassiodorus [9]), Beda [10]), aliique [11]); nec unus est inter veteres, qui aliud narraverit, praeter Lactantium [12]) haec scribentem: *Cumque iam Nero imperaret Petrus Romam advenit, et . . . convertit multos ad iustitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocavit*; quae tamen aperte pugnant, non modo cum temporis spatio, quo Petrus Romae pontificatum gessit, sed cum iis quoque, quae legimus in Pauli epistula ad Romanos [13]) scripta uno dimidiatoque anno, antequam Nero imperium capesseret [14]); sunt tamen, qui putant Lactantium minime nobis adversari [15]). Qui autem saeculo VI Catalogum scripsit pontificum editum primo ab Henschenio [16]), quique Catalogum hunc exscribebat, Anastasius Bibliothecarius [17]), quum aiebant Petrum venisse in Urbem *Nerone Caesare*, vel de altero adventu loquebantur, vel Neronis nomine Claudium vocarunt, utpote qui Nero quoque cognomen habuerit [18]), nisi forte dicere malis hos pugnantia loquutos esse, quum aiebant Petrum in Urbem venisse *Nerone Caesare*, ibique ecclesiam rexisse annis viginti quinque non ultra aetatem ipsius Neronis, qui tamen decimum quartum principatus sui annum non complevit. De exemplari armeniaco Chronici Eusebii, in quo adscribitur adventus Petri in Urbem anno tertio principatus Caii, infra disputabimus (40).

27 Annum autem, quo Petrus venit, fuisse alterum principatus Claudii, qui initium habuit ex a. d. IX kal. febr. an. aer. vulg. XLII, Hieronymus ait disertis verbis, legimus quoque apud Prosperum et Cassiodorum, qui id factum narrant altero consulatu ex quatuordecim gestis sub Claudio, item apud Bedam inque aliis vetustis monumentis [19]), tametsi Beda alio in loco [20]) scripserit id factum quarto anno imperii Claudii. Sed et levi negotio illud evincimus. In utroque Chronico Eusebii et Hieronymi narratur Petri adventus in Urbem ante Marci discessum in Aegyptum, discessus vero iste ante obitum Agrippae, ex quo Petrum ad nos advenisse consequitur ante medium annum XLIII, quo cum concurrebat tertius annus principatus Claudii. Sed illud aeque compertum est, quod venire non potuerit nisi post dies festos azymorum an. XLII. Etenim Agrippa a Claudio Iudaeam regno suo adiectam accepit (24) anno XLI, februario exeunte aut summum ineunte martio; ergo illud pascha, cuius diebus Petrum in vincula is coniecit [21]), vel hoc ipso anno fuit, vel insequente XLII, vel tertio, hoc est XLIII. Primum horum paschatum Agrippa Hierosolymae non egit. Actum quippe est diebus septuaginta aut paulo amplius post necem Caii, intra quod tempus fieri non potuerunt ea omnia, quae Iosephus facta refert, ut Alexandrini nuntios acciperent de Caio interempto, hinc turbae graviores eos inter interque Iudaeos Alexandriae commorantes concitarentur, de his certior fieret Claudius

---

[1]) Doctr. tempor. L. XIII. [2]) H. E. L. II. c. 10. [3]) Bell. L. II. c. 11. § 6. [4]) H. E. L. II. c. 14 coll. 13. [5]) In Chronico ann. Abr. 2058; De viris illustr. c. 1. [6]) In Chron. [7]) Hist. L. VII. c. 6. [8]) In Chron. § 69. [9]) In Chron. [10]) De sex aetatib.; Martyrolog. [11]) Ap. *Schelestrate* Antiq. eccles. T. I Append. ad opus chronolog., et ap. *Blanchinium* Praefat. in *Anastasii Bibliothecar.* T. II. [12]) De mortib. persecutor. § 2. [13]) Rom. I. 8. cet. [14]) Lege *Paley* La vérité de l'hist. de st. Paul ch. 2 et confer huius libri I. cap. III. nn. 13 seqq. [15]) *Tillemont.* Mémoires pour servir à l'hist. eccl. T. I. not. 38 sur s. Pierre; *Mazoch.* Comment. in marmor. neapolit. kalendar. T. II. p. 855 not. 683. [16]) Diatriba in Catalogos veter. romanor. pontif. p. XVII init. T. I. Act. sanctor. april. Lege *Schelestrate* op. cit. T. I. diss. III. c. 4 et p. 402. [17]) In vita s. Petri. [18]) Lege *Baumgarten* Adnot. in *Sueton.* Claud. § 1. [19]) Ap. *Schelestrate* et *Blanchin.* II. cc. [20]) In Act. XV. [21]) Act. XII, 3.

et *supplicantibus ei regibus Agrippa et Herode* Agrippae fratre, decreta super ea re in Iudaeorum gratiam ederet, ac tum demum Agrippa itineri in Iudaeam se committeret, illucque perveniret [1], atque ad Christianos insectandos animum adpelleret. Sed neque pascha, quod actum est an. XLIII, illud esse potest, quo Agrippa Petrum vinxit; neque inter hoc pascha et Agrippae decessum, hoc est inter idus apr., in quem diem aut circiter hoc pascha incidit, et inter medium annum, quum Agrippa decessit, tempus suppetere potuit, ut Petrus Hierosolyma Romam usque iter faceret, Romanos christianis doctrinis institueret, exin Marcus evangelium illic conscriberet, ac postea in Aegyptum profectus ecclesiarum fundamenta in ea provincia iaceret. Quae quum ita sint, dies festos azymorum, quibus Petrus in carcerem ab Agrippa detrusus fuit, patet alios esse non posse, quam qui fuerunt an. XLII; atque adeo post huius anni pascha, longe tamen ante anni exitum, Romam Petrus venisse dicendus est. Idque iter, aut ego fallor, Lucas perstringere videtur his verbis, quibus narrationem de Petri vinculis concludit: *Et egressus abiit in alium locum* [2]), quae de graeco ita quoque transferri possunt: *Et egressus profectus est in aliam regionem.*

28 Minime autem ratiocinationi huic nostrae illud obest, quod Lucas post haec narrata Agrippae obitum continuo narret. Etenim, quamvis in exemplaribus latinis Actuum apostolorum continuitas rerum gestarum indicari videatur verbo *descendensque* [3]), quo utraque narratio connectitur, secus tamen est in ipso graeco exemplari, ubi non est *κατελθών τε descendensque*, sed *καὶ κατελθών et descendens*; etsi enim Lucas narrationes rerum longiore aliquo temporis intervallo disiunctarum particula *τε* numquam coniungat, coniungit tamen interdum particula *καί*, saltem si de eadem persona loqui pergat [4]).

29 Porro autem Petrum illo anno in Urbem advenisse demonstrare est alio argumento, quod suggerunt simul annus et dies emortualis ipsius Petri simulque temporis spatium, per quod Romae degit, ac gessit pontificatum. Petrum interemptum III kal. iul. ad unum prisca monumenta testantur [5]), quorum vetustissimum novimus Catalogum pontificum romanorum scriptum medio saeculo IV, Liberio pontifice maximo, integrumque etsi disperse a Cuspiniano suis Commentariis de consulibus insertum, postea vero continenter editum a Bucherio [6]), ac propterea *bucherianum* adpellatum. Nec aliam ecclesiae graecae sententiam fuisse illa aetate, testis est auctor narrationis de Martyrio Pauli (37), qui, Arcadio IV Honorio III coss. an CCCXCVI, scribebat Paulum interemptum *quinto die iuxta Syromacedones panemi mensis, qui apud Aegyptios diceretur epiphi, apud Romanos vero III kalend. iulii, nempe vicesimo nono mensis iunii.* Argumenta autem, quibus ductus Mazochius [7]) credere mallet diem III kal. iul. non esse diem, quo Petrus in crucem actus fuit, sed quo eius ossa a coemeterio Callisti relata fuerunt in Vaticanum, mox expendemus (32 seqq.).

30 Neque minus consentiunt veteres, inter primum adventum Petri ad Urbem interque eius necem annos viginti quinque intercessisse. Missum faciam Chronicon Eusebii, quum in graecis huius libri reliquiis annos istos non reperiamus, armeniaci autem exemplaris, in quo legimus annos *viginti*, error manifestus fiet, si compares annum, quo in eo dicitur Petrus Romam venisse, cum anno, cui Petri mors adscribitur. Etenim hac in re nullum luculentius testimonium expetere est, quam *παραδοσιν* in ecclesia romana obtinentem, cuius monumenta continua serie a medio saeculo IV illud comprobant, adstipulantibus Hieronymo, Prospero, Isidoro, Cassiodoro, Beda, aliisque, nec unum novimus inter patres vetustosque scriptores, qui expressis verbis aliud docuerit. Neque enim moror annales quosdam noi Cuspiniano [8]) visos, quibus, prout illo narrat, Petrus dicitur Romae *per annos XXVI, menses II, dies III praedicasse.* Annis hisce vigintiquinque adduntur in praedictis monumentis menses et dies aliquot, minimum mensis I dies V, summum menses III dies VII. In Catalogo pontificum bucheriano sunt mensis I dies IX. Pleraque tamen horum monumentorum exhibent menses II dies VII [9]). Si quis nobis opponat Ruffinum, qui [10]) Petri pontificatum annis XXIV definit, id respondebimus, quod iam animadvertit Petavius [11]), distinguendum a Petri adventu in Urbem *romanae sedis initium. . . . Nam, si anno Claudii II, qui est Christi XLII, Romam profectus est Petrus, consequens est anno Christi XLIII, postquam . . . saltem aliqui ad Christum adiuncti sunt, atque ecclesia coalescere coepit, Petrum ibi sedem erexisse.* Enimvero nemo facile credat diem aliquem a Petro constitutum pontificatui capessendo; quare, qui mensem et diem notant, dicendi sunt loquuti esse de Petri adventu, non de inito pontificatu. Itaque Petrus interemptus utique fuit post expletos annos

---

[1]) *Ioseph.* Antiq. L. XIX. c. 5. §§ 2. 3; c. 6 § 1. [2]) Act. XII, 17. [3]) Ib. 19. [4]) Lib. III. Diss. XXXVIII. n. 7. [5]) *Blanchin.* l. c.; *Borgia* Vaticana confess. b. Petri pp. XCVI seqq. [6]) De doctrina tempor. p. 269. [7]) Commentar in marmor. neapol. kalendar. T. III. p. 891. [8]) De consulibus Romanor. comment. Saturnino II et Venusto coss. [9]) *Blanchin.* l. c. p. LXXXVII. [10]) Invectivar. in Hieron. L. II. § 32. [11]) Doctrin. tempor. L. XI. c. 14.

vigintiquisque, ex quo in Urbem advenerat, at post vigintiquatuor, id est eunte anno vicesimo quinto, ex quo illic Christianorum rebus ecclesiae formam indiderat.

31 Denique adfirmamus annum, quo Petro nex illata est, esse LXVII aer. vulg. Quam quaestionem ut dilucidius breviusque habeamus, recolenda ea sunt, quae aliis in locis disputavimus tum de diversis rationibus numerandi annos principum romanorum [1]), tum de civilis anni initio alio apud alias gentes [2]). Atque illud exploratum plane est, non serius illo anno Petrum interemptum, siquidem id factum est iussu Neronis III kal. iul.; nam Nero violentas sibi manus intulit ante medium iunium anni insequentis, aer. vulg. LXVIII [3]). Quaecumque autem veteres scriptis consignarunt de Petri anno emortuali, etsi prima specie aliquid discrepent inter se, re tamen vera, sicut iam Petavius animadvertit [4]), consonant, si annus iste fuit, quem dicimus, ac in nostram sententiam plane omnia congruunt. Eusebius [5]) et Prosper [6]) Petri necem adscribunt anno imperii Neronis XIII, Hieronymus [7]), Cassiodorus [8]), aliique [9]) anno XIV, idem ipse Hieronymus [10]), Beda [11]), aliique [12]) anno postremo. Atqui haec omnia verissime dicuntur, et perquam apte cohaerent, si Petrus morte adfectus fuit III kal. iul. an. LXVII. Erat enim ille annus principatus Neronis decimustertius, si hunc computes ex a. d. III id. octobr. an. aer. vulg. LIV, quo die Nero ad imperium evectus est. Sin autem computes annos imperii more vulgi ex ipsis prioribus kalendis ianuar., qui mos in numis quoque cudendis inque ceteris publicis monumentis ab Antonino Pio et deinceps obtinuit [13]), ut primus annus principatus Neronis fuerat annus aer. vulg. LIV, alter LV, ita decimus quartus fuit annus aer. vulg. LXVII. Quum denique Nero mortem sibi consciverit ante medium mensem iunium anni insequentis LXVIII, Petrus in crucem actus III kal. iul. an. LXVII vere dicitur interiisse postremo anno imperii Neronis, tum quia Nero neque dimidium anni LXVIII partem explevit, tum quia vivere desiit anno nondum completo, ex quo Petrum capitis damnaverat. Omittere autem minime oportet, quod Hieronymus scripsit de Seneca, interemptum hunc a Nerone fuisse biennio ante Petrum et Paulum. Atqui Seneca interemptus est Silio Nerva, Attico Vestino coss., hoc est an. aer. vulg. LXV [14]); Petrus ergo an. LXVII.

32 Sed huius anni argumentum petere est ex illis ipsis libris de Excidio hierosolymitano, quos Mazochius [15]) Ambrosio auctori eruditu disputatione adtribuit, et in quibus caussam se reperisse putavit, cur Petrus, non anno LXVII, sed insequente LXVIII morte adfectus dicatur. Caussa autem haec sic habet. Ambrosius narrat Petrum et Paulum a Nerone sublatos, postquam is *Iudaeorum bello afflictam romani exercitus validam manum cognovisset* [16]). Clades ista Romanis illata est, ut Iosephus narrat, *die octavo mensis dii, anno decimo secundo Neronis imperii* [17]). De ea caede nuntium Nero accepit, quum erat in Achaia [18]), quo iverat post medium annum aer. vulg. LXVI. Annus duodecimus eius imperii exiit in a. d. IV id. octobr. huius ipsius anni; dies vero octava mensis dii hoc anno incidere debuit in id. octobr., summum in diem, qui fuit prid. id. Quare, nisi credere malis Iosephum loqui de anno duodecimo iam expleto, vel duorum aut trium dierum rationem ab eo minime habitam esse, quorum neutrum veri simile mibi fit, alterutrum dicendum est, sive in anni sive in diei notum vitium irrepsisse; facilius nimirum fuit, ut pro *ΔIII* librarius scriberet *ΔII*. Ceterum ex Iosephi testimonio efficitur eam cladem incidisse in autumnum anni aer. vulg., quem diximus. Ergo, nisi post hunc annum, illud facinus a Nerone admissum non est. *Si antiquis habenda est fides*, inquit Mazochius, *non tantum Nerone imperante apostoli interfecti fuerunt, sed iussu ipso Neronis, eoque adeo praesente. At, anno LXVI sive medio sive paulo provectiore in Achaiam profectus ibi toto aut pleroque anno LXVII ludis, certaminibus, effodiendoque isthmo, occupatus fuit, nec nisi sequente hyeme Romam rediit, nimirum ineunte anno LXVIII* [19]), aut saltem non ante autumnum anni LXVII, procul dubio post mensem iunium, quod colligimus ex historiis Iosephi [20]) et Dionis [21]). Restat igitur dicere Petrum et Paulum longe post III kal. iul. an. LXVII morte mulctatos. Quonam ergo die? unm Nero ante medium iunium an. LXVIII sibi mortem conscivit. Die VIII kal. mart. an. LXVIII, inquit Mazochius. *In bucheriano enim kalendario,* hoc est in vetustissimo opusculo edito

[1]) Lib. III. Diss. XIX. n. 28; Diss. XXXIX. nn. 1. 9. 10. [2]) Ib. Diss. XIX. n. 6 seqq. [3]) Lege *Reimar.* in *Dion.* L. LXII. § 13. not. 61; L. LXIII. § 29. not. 160. [4]) L. c. [5]) Chronic. edit. *Aucher.* et *Mai.* [6]) Chronic. [7]) Chronic.; De viris illustr. c. 1. [8]) Chronic. [9]) Ap. *Blanchin.* l. c. p. CXIII. [10]) De viris illustr. c. 1. [11]) De sex aetatib.; Martyrolog.; In Acta c. XV. [12]) Ap. *Schelestrate* Antiq. eccl. T. I. Append. ad Op. chronol. n. 6. p. 519. [13]) Lib. III. Diss. XIX. n. 28. [14]) *Tacit.* Annal. L. XV. §§ 48. 64. [15]) Op. cit. die 29 iun. [16]) De excid. hierosol. L. III. c. 1. [17]) Bell. L. II. c. 19. § 9. [18]) Ib. c. 20. § 1; L. III. c. 1. § 3. [19]) *Mazoch.* l. c. p. 892. [20]) L. c. coll. L. III. c. 10. § 10. [21]) Hist. L. LXIII. pp. 718 B—723 C.

a Bucherio [1]), cui titulus *Depositio martyrum* praescriptus est, *quod IV saeculo compositum perhibent, sic scribitur: III kal. iul. (hoc est die XXIX iunii) Petri in Catacumbas et Pauli Ostiense, Tusco et Basso coss. Quibus profecto verbis, non eorum martyrium, sed translationem eo die factam anno CCLVIII, qui illos habuit consules, significari, paria eiusdem bucheriani catalogi exempla consulibus insignita demonstrant. Et heic quidem martyrium in XXIX iunii incurrisse negari videtur. At, quo die primitus celebratum fuerit, satis indicat Polemii Silvii kalendarium anno CDXLIX scriptum, in quo sic legitur: VIII kal. mart. (hoc est die XXII februarii) depositio s. Petri et Pauli. Ac meminisse proderit eorum, quae saepe de vocibus* NATALIS *et* DEPOSITIONIS *notavimus, nimirum priorem vocem generalem esse, et de quovis anniversario festo usurpari, non item* DEPOSITIONIS *nomen, quod non nisi de die emortuali potest intelligi* [2]).

33 Verum, pace viri eruditissimi dixerim, haec omnia nihil conficiunt. Nam primo, quod adtinet ad Petri diem emortualem, illud opusculum a Bucherio editum Mazochio nullo pacto suffragatur, quum diei VIII kal. mart. non *Depositionem Petri et Pauli* adscriptam in eo legamus, sed *Natale Petri de Cathedra*, videlicet illud ipsum sollemne, quod etiamnum eo die agimus; proinde alterutrum dicas necesse est, vel omissum in illo opusculo diem festum *depositionis* Petri et Pauli, quod non facile crederem, vel adscriptum diei III kal. iul. Tum qui potuit Mazochius sibi vindicare scriptoris huius suffragium, atque illud adfirmare, quod ab eo *martyrium in XXIX iunii incurrisse negari videtur*, ipse inquam, qui et illud adfirmavit, quod *depositionis nomen . . . non nisi de die emortuali potest intelligi*? Nonne huic opusculo titulus praescriptus *Depositio martyrum?* et, quamvis constet aliquos in eo nominatos *aliis diebus, quam qui ibi notantur, passos* esse, non minus tamen constat dies emortuales utique esse, quibus in eo adscripta leguntur nomina Agnes, Perpetuae et Felicitatis, Parthenii et Caloceri, Laurentii, Hippolyti, Proti et Hyacinthi, Cypriani. Lege Ruinartii Acta martyrum. Esto Tuscus et Bassus designent annum, quo Petri et Pauli ossa in pristinum locum translata fuere, hoc est annum CCLVIII, quo hi consulatum gesserunt, qua tamen de re legere est disputata a Stephano Borgia [3]), at num ideo dies quoque ille sit oportet, quo id factum est? Legitur quidem in illo opusculo: *X kal. octobr. Bassillae, Salaria vetere, Diocletiano IX et Maximiano VIII coss. Atqui ea passa sub Gallieno fuerat*, inquit Mazochius [4]). Verum quinam docuit Mazochium unam eamdemque Bassillam utramque esse? id enimvero in dubium revocant Bollandiani [5]), nec sine optima caussa, quum secundum vetus martyrologium, quod Hieronymo tribuitur, *Romae natalis s. Bassillae* celebretur praeterea diebus III id. iun., VI kal. sept., III id. sept., imo et XIII kal. iun. secundum Martyrologium romanum; quis autem credat unius eiusdemque Bassillae festum quinquies quotannis agi? Damus igitur consules esse, quibus Bassillae cineres translati illuc fuere, at diem alium esse, quam emortualem, non est cur dicamus. Item in illo ipso opusculo haec leges: *XIV kal. iun. Parthini et Caloceri, in Callisti, Diocletiano IX et Maximiano VIII coss.*; Parthenius autem et Calocerus occisi sunt utique die XIV kal. iun., non tamen illis consulibus, id est non anno CCCIV, sed anno CCL Decio II et Grato coss. [6]). Viderit vero Mazochius, an Polemii Silvii Kalendarium, tum illo martyrum Catalogo tum altero pontificum romanorum centum circiter annis recentius, et nisi pauca sacra plerisque profanis commixta exhibens, praestet auctoritate, non modo illis duobus, sed et ceteris omnibus monumentis, quae una veluti voce diem Petri emortualem III kal. iun. fuisse testantur.

34 Ceterum caussa, cur non hac die Petrus in crucem sublatus fuisse dicatur, quia videlicet Nero in Urbem ex Achaia reversus non est, nisi post mensem iunium an. LXVII, quare praesens non adfuisset Simonis Magi casui et Petri neci, contra ac a maioribus memoriae proditum esse Mazochius putat, caussa, inquam, haec nulla est. Neutrum quippe ullo veterum scriptorum testimonio evincere est, aut Simonem coram Nerone volatum tentasse, aut Petrum interfectum, quum Nero in Urbe esset. Nam ea, quae Tillemontius, ut hoc alterum comprobaret, congessit [7]), id unum efficiunt, Petrum Neronis iussu fuisse morte mulctatum, quae vero Mazochius [8]), ut evinceret illud prius, ea nos certiores solummodo faciunt Petrum et Simonem coram Nerone disceptasse.

35 Nec quidquam proficit Mazochius [9]) Suetonii et Dionis Chrysostomi testimoniis. Suetonius enumerans plurima ac diversissima spectaculorum genera edita a Nerone, haec narrat: *Exhibuit et*

---

[1]) Op. cit. p. 267. [2]) L. c. pp. 891. 892. [3]) Vaticana confess. b. Petri pp. XVIII seqq. [4]) L. c. p. 892. not. 764. [5]) Acta sanctor. d. 11 iun. p. 464. n. 2. [6]) Ib. ad 19 maii p. 304. [7]) Mémoires pour servir à l'hist. eccl. T. I s. Pierre. n. 40. [8]) L. c. pp. 871 seqq. [9]) Ib. pp. 885. 886.

naumachiam, . . . item pyrrhicas quasdam. . . . Inter pyrrhicarum argumenta taurus Pasiphaen, ligneo iuvencae simulacro abditam, iniit, ut multi spectantium crediderunt, Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumque cruore respersit [1]). In his, ut Mazochius recte adnotavit, *taurus, Pasiphae, Icarus, non alind sunt, quam qui tauri, Pasiphaes, Icarique, personam sustinerent, exprimerentque*, at nullo modo *Icarus . . . Simon est Icari personam gerens*, quod idem ipse Mazochius adfirmat. Ecquis enim credat Simonem, qui *Virtus Dei magna* [2]), qui *magna potentia* [3]) amabat vocari, scenicam personam induisse? Neque inter spectacula aut lusus gratia Simon ad superos evolare instituit, sed querebatur *offensum . . . se . . . a Galilaeis*, propterea *relicturum esse Urbem, quam tueri soleret* [4]). Minorem quoque opem Mazochio nostro adfert Dio Chrysostomus [5]), qui quemquam olim volasse, nedum Nerone inspectante, ne narrat quidem, sed solum exstitisse, qui Neroni ea iubenti, quae fieri non poterant, sese facturos pollicerentur, puta, *illum facere mulierem aut volare.* Missa facio scripta quaedam vel *ἀνώνυμα* vel *ψευδώνυμα*, ut sunt Acta Petri et Pauli a graeco auctore composita [6]), Abdiae Historia apostolica [7]), Lini Historia Petri et Pauli [8]), Marcelli libellus de Conflictu s. Petri et Simonis Magi [9]), quorum auctoritatem ac fidem ipse Mazochius nihil pensi habet [10]).

36 Non est igitur cur in dubium revocemus diem III kal. iul. an. LXVII supremum Petro fuisse. Quin imo, ut aiebam, ipsius Ambrosii narratio, qua potissimum Mazochius movebatur, quum huius opinionem satis manifeste refellit, tum non modo nihil habet, quod cum sententia nostra minus cohaereat, sed eam plene comprobat, saltem quod adtinet ad annum LXVII. *Demens tamen Nero*, inquit Ambrosius, *cum Iudaeorum bello adflictam romani exercitus validam manum cognovisset, adversus Christianos insurrexit* [11]). Nuntios illius cladis a Nerone, quum in Achaia erat, acceptos Ambrosius superius [12]) dixerat, idque non multo ante exitum anni LXVI, ut compertum habemus ex historiis Iosephi [13]). Pergit porro Ambrosius: *Erant* TUNC TEMPORIS *Romae Petrus et Paulus, . . . qui virtute suorum operum Neronem adversum fecerant captum Magi Simonis deliramentis, qui sibi animum eius conciliaverat* [14]), scilicet antequam Nero in Achaiam transmitteret. Refert deinceps ea, quae in Urbe tum a Simone tum a Petro et Paulo gesta sunt usque ad ipsius Simonis ruinam et interitum, nec tamen quidquam horum Nerone praesente gestum dicit, aut Neronem vel semel nominat. Imo Neronem casui Simonis praesentem non adfuisse aperte nos docet. Nam, post narratum casum hunc, haec subiungit: QUO COMPERTO . . . *Nero . . . quaerere coepit caussas, quibus Petrum occideret.* Sequitur continuo narratio de caede Petro et Paulo illata, Neronis tamen nomen nec semel comparet. Postremo Ambrosius redit narratione ad Neronem adhuc in Achaia commorantem [15]). Quis igitur non videat totum id ita ab Ambrosio referri, ut factum eo anno, quem, nisi integrum, at certe maiorem partem Nero transegit in Achaia, hoc est anno aer. vulg. LXVII?

37 Expendamus modo ea, quae contra proferri solent, aut possunt. Epiphanius [16]) et graecus quidam scriptor brevis historiae de Martyrio Pauli, quam nobis servavit Euthalius Sulcensis [17]), et quae initio etiam operum Oecumenii est, docent Petrum et Paulum interfectos an. LXVI. Etenim Epiphanius ait id factum *anno XII Neronis*, alter ita scribit: *Est ergo omne tempus, a quo martyrium* Paulus *sustinuit, trecentorum triginta annorum usque ad praesentem hunc consulatum, qui quartus quidem est Arcadii tertius vero Honorii duorum fratrum imperatorum Augustorum, indictione nona, periodi anno quintodecimo, mensis iunii vicesimo nono die.* Atqui annus duodecimus imperii Neronis desinebat in a. d. IV id. octobr. an. LXVI; Arcadius IV et Honorius III coss. fuerunt an. CCCXCVI, ex quo numero si demas annos trecentum triginta, supererunt LXVI. Verum nemo ignorat quam exiguum momentum in supputandis temporum rationibus insit Epiphanii testimonio, atque adeo unius Epiphanii. Unius inquam Epiphanii, nam ille alter, quem Norisius [18]), tametsi falso [19]), Euthalium ipsum esse putavit, praeter eam, quam retulimus, duas notas exhibet anni emortualis Pauli, quarum neutra in alium annum congruit, quam in annum aer. vulg. LXVII. Ait quippe Paulum capite mulctatum *tricesimosexto anno salutiferae passionis, . . . sexagesimanono anno adventus Salvatoris nostri Iesu Christi.* Usque ad illam aetatem omnium sententia erat Chri-

---

[1]) Nero § 12. [2]) Act. VIII, 10. [3]) *Ambros.* De excid. hieros. L. I. c. 1. [4]) Ib. c. 2. [5]) Orat. XXI. p. 271. Lutetiae 1604. [6]) Ap. *Combefis.* ad *Andreae Cretens.* Encom. alteram in s. Patapium not. 14 ex Biblioth. reg. ms. n. 1045. [7]) L. 1. [8]) L. I. [9]) Ap. *Florentinium* Vetust. occidental. eccl. martyrolog. pp. 103 seqq. [10]) L. c. pp. 879 seqq. [11]) De excid. hierosol. L. III. c. 1 fin. [12]) L. c. init. [13]) Bell. L. II. c. 20. § 1 coll. c. 19. § 9 fin. [14]) L. c. c. 2. [15]) Ib. c. 3 coll. *Ioseph.* Bell. L. III. c. 1. §§ 1—3. [16]) Haer. XXVII. § 6. [17]) Edit. epistolar. Pauli, Prolog. io *Zacagni* Collectan. monumentor. vet. p. 535. Romae 1698. [18]) De epoch. Syromaced. Diss. I. c. 2. col. 23; Diss. V. c. 2. col. 504. Opp. T. II. Veronae 1729. [19]) Lege *Euthal.* I. c. et not. *Zacagni.*

stum ortum eo anno, qui responderet anno U. C. DCCLI palilibus incepto [1]; mortuum vero esse anno XVIII principatus Tiberii, U. C. DCCLXXXV, multi post Eusebii aetatem opinabantur, sicque opinatum esse istum scriptorem ex eo quoque adparet, quod inter Christi ortum atque obitum annos triginta tres numeraret. Iam vero, si ab anno DCCLI mense decembre, quo Christus ortus credebatur, numeres annos sexaginta novem, desines in mensem decembrem an. U. C. DCCCXX, qui fuit aer. vulg. LXVII; item, si triginta sex ab anno U. C. DCCLXXXV vernoque aequinoctio, desines in aequinoctium vernum an. U. C. DCCCXXI, qui fuit aer. vulg. LXVIII.

38 Cetera, quae sententiae nostrae adversari videntur, non modo eam non infirmant, sed confirmant potius, ac comprobant, quum magis magisque ostendant illa duo veteribus certa fuisse, inter Petri adventum in Urbem eiusque necem intercessisse annos vigintiquinque, necem vero ipsi illatam eo anno, qui, sicut demonstravimus (31), decimustertius, vel decimusquartus, aut postremus imperii Neronis dici neque potuit. Itaque non paucos reperias, etiam inter priorum aetatum scriptores, qui, quum duo illa, de quibus inter omnes constabat, posita haberent, ad ea revocare studuerunt cumque iis componere alias quoque temporum notas, quorum temporum quum minus ipsis esset comperta ratio, non modo in diversas sententias abiisse et aliis atque aliis annis Petri necem adscripsisse visi sunt, sed et opinionum quaedam veluti monstra peperere. In Catalogo pontificum, quem edidit Bucherius (29), haec legimus: ***Imperante Tiberio Caesare passus est Dominus noster Iesus Christus duobus Geminis coss.*** . . . hoc est an. aer. vulg. XXIX. ***Petrus annis XXV, mense I, diebus IX. Fuit temporibus Tiberii Caesaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis, a consulatu Vinicii et Longini usque Neronis et Veteris. Passus autem cum sancto Paulo die tertia kalendas iulias, coss. ss. imperante Nerone***, id est anno aer. vulg. LV. In his manifestus est error, at manifesta quoque erroris caussa. Voluit quippe scriptor edicere, quibus consulibus Petrus necatus fuerat, quare, quum certum haberet eum pontificatum gessisse annis vigintiquinque, numeravit vigintiquinque consulatus inter annum, quo Christus, interque annum, quo Petrus in crucem acti sunt. Hic scriptoris istius error est, non vero quod consules alios pro aliis nominaverit, frustraque eos esse, imo contra eius consilium agere, qui nomina haec emendare student, facile intelliges, ubi ea adtente perlegeris, quae transcripsimus, contulerisque rationem modumque huius et sequentium capitum illius opusculi. In Chronico Eusebii [2] nex Petri adscripta est anno Abrahae MMLXXXIII, quem quidam fuisse putant annum aer. vulg. LXVIII, tametsi exierit in annum aer. vulg. LXVII, inque annum XIII principatus Neronis [3]. In Chronico autem Hieronymi adscripta est anno Abrahae MMLXXXIV, atque hoc ipso anno Nero sese interemisse narratur, hoc recte, illud non item; sed erroris caussa fortasse fuit, quod Petrus interfectus anno XIV imperii Neronis dici queat, si horum annorum initium ducatur ab ipso initio anni civilis prioribusque kalendis ianuarii, male tamen Hieronymus annum hunc XIV eo modo ductum cum anno Neronis emortuali cumque anno Abrahae MMLXXXIV composuisset. Cassiodorus quoque uno eodemque anno Petrum et Neronem mortuos scribit in Chronico; quia, quum narrasset Petrum pontificatum tenuisse annis vigintiquinque, totidem consulatus enumeravit inter annum, quo Petrus Romam venerat, interque annum, quo occisus est, huncque annum, qui eo pacto, quo diximus, et decimusquartus et postremus principatus Neronis recte dici poterat, non recte composuit cum anno XIV ducto ab ipsis imperii exordiis, cumque anno civili, qui Neronis emortualis fuit. Qui denique scripsere Petrum morte adfectum anno post Christi obitum XXXVI [4], vel XXXVII [5], vel XXXVIII [6], vel etiam XXXIX [7], nullam nobis difficultatem creant, quum ipsa haec sententiarum discrepantia evincat non ea ab his referri, quae a maioribus acceperant, sicut acceperant Petrum interemptum anno illo, qui simul erat XIII, XIV, et postremus principatus Neronis, ac vigintiquinque post annis, ex quo in Urbem venerat, de quibus convenit inter ipsos, sed ea quae temporum rationibus, praepostere tamen, subductis ipsimet colligebant. Quod vero adtinet ad Fastos consulares Idatii nomine inscriptos [8], in quibus Petrus et Paulus necati dicuntur Nerone III Messala Corvino coss., anno videlicet aer. vulg. LVIII, licet nobis esse securis, quum hi Fasti crassissimis erroribus scateant ab initio usque ad extremum saeculum IV. Attamen, aut ego fallor, aut caussam, cur illis consulibus Petrus et Paulus interfecti dicerentur, deprehendere mihi videor in eo, quod, etsi Fastorum auctor Christum mortuum scripserit duobus Geminis coss., id est an. aer. vulg. XXIX, quum tamen ea ae-

---

[1]) Lib. III. Diss. XX. n. 5. [2]) Ed. *Aucher.* et *Mai.* [3]) Lib. III. Diss. XIX. nn. 14 seqq. 73, [4]) *Isidor.* De ortu et obitu patrum § 39. [5]) *Hieron.* De viris illustr. c. 5. [6]) Catalog. pontific. scriptus saec. VI ap. *Schelestrate* Antiq. eccl. T. I. p. 402; *Beda* in Acta apostol. c. 15; *Anastas. Bibliothecar.* in s. Petro; etc. [7]) *Anastas.* ib. secund. cod. florent. [8]) Ap. *Sirmond.* opp. T. II.

tate, qua scribebat, post medium inquam saeculum V, iam apud multos obtineret opinio, Christi obitum in consulatum incidisse tertium ab illo, qui annus erat XVIII principatus Tiberii, aer. vulg. XXXII, quumque scriptor pro comperto haberet Petrum pontificatum tenuisse annis vigintiquinque, simile quid peccavit ac scriptor Catalogi bucheriani, putavitque annos istos vigintiquinque intercessisse inter annum XVIII principatus Tiberii interque annum Petri emortualem, atque ita factum est ut Petri neci illos consules adscriberet, qui fuerunt an. aer. vulg. LVIII.

39 Sed iam longiusculae huic quaestioni de Petri anno emortuali finem facimus. Itaque, quum Petrus Neronis iussu mortem obierit III kal. iul. an. aer. vulg. LXVII, postquam menses duos plus minus supra annos vigintiquinque explevisset, ex quo Romam primum venerat, dicendus necessario est Romam primum venisse verno an. aer. vulg. XLII.

40 At enim, inquies, in exemplari armeniaco Chronici Eusebii [1]) Petrus venisse dicitur anno Abrahae MMLV, qui partim anno secundo, partim tertio principatus Caii respondet, item partim anno XXXVIII, partim XXXIX aer. vulg. Ita vero, attamen non sine errore praegrandi, quem nemo sanus ipsi Eusebio, sed eius librariis aut interpreti armeno vitio vertet. Mitto enim illud, quod nemo unus id unquam memoriae prodidit. Sed nemo etiam est, qui Petrum in Urbem venisse narraverit antequam in vincula coniiceretur ab Agrippa [2]), quod procul dubio factum est eo tempore, quo Claudius imperio potiebatur (27), si demas scriptorem Chronici cuiusdam editi a Schelestrate [3]), in quo haec leguntur: *Claudius Caesar . . . . Huius anno II Petrus cum discipulis Romam venit . . . . Herodes (Agrippa) manus iecit, et Iacobum occidit, et Petrum in carcerem misit, ab angelo percussus funibus expiravit.* Verum Chronicon saeculo XI conscriptum est, neque Petri in vincula coniecti mentio fit post eius adventum in Urbem veluti si postea id acciderit, sed quia Chronici scriptor ea, quae de Agrippa referre voluit, in unum collegit. Ceterum Chronicon armeniacum erroris arguitur ipsius Eusebii auctoritate, qui in Historia ecclesiactica scripsit Petrum Romam venisse, quum Claudius imperaret [4]). Dices fortasse haec duo pugnantia minime esse, Petrum Caio imperatore in Urbem primo venisse, denuoque postquam Caio Claudius successerat. Sed, quominus id veri simile fiat, multa obsistunt. Mirum enim foret ab Eusebio in Chronico referri primum Petri iter, non item alterum, in Historia vero e contrario alterum, non autem primum. Tum iter ex Iudaea ad Urbem ter a Petro confectum dici oporteret, quum tamen bis tantum confecerit, prout prisca monumenta nos docent. Ad haec adventum Petri in Urbem Claudio imperatore ita Eusebius narrat, ut qui primus adventus fuerit; sic enim scripsit: *Claudii Augusti temporibus benigna et clementissima Dei providentia fortissimum et maximum inter apostolos Petrum, et virtutis merito reliquorum omnium principem ne patronum, Romam . . . perducit. Qui tamquam strenuus divinae militiae ductor coelestibus armis munitus preciosum illam* LUCIS INTELLIGIBILIS MERCEM AB ORIENTE AD EOS, QUI VERSUS OCCASUM HABITABANT, DETULIT, LUCEM IPSAM ET SALUTAREM MENTIBUS DOCTRINAM, REGNUM SCILICET COELORUM, EIS ANNUNTIANS [5]). Quid vero, quod iter illud prius, cuius mentio foret in Chronico, plane commentitium esse adparet ex ipsa Chronici lectione? ita enim scriptum est: *Petrus . . . Romanorum urbem proficiscitur, . . . et commoratur illic antistes ecclesiae annis viginti (quinque).* Haec adscripta sunt anno Abrahae MMLV. Desineret igitur annus vicesimus quintus in annum Abrahae MMLXXX. Petri autem nex vel huic anno adscribenda fuisset, vel certe non seriori quam anno Abrahae MMLXXXI; adscriptam nihilominus videas anno MMLXXXIII. Patet igitur in Chronico armeniaco Petri adventum per errorem illi anno adscriptum esse, quum foret adscribendus anno MMLVIII, quo secundus incepit annus principatus Claudii, et cui Petri adventus adscriptus est in Chronico Hieronymi [6]).

41 Contra ea sunt, qui contendunt Petrum semel solummodo Romam ex Oriente iter fecisse, idque quum Nero imperium teneret, interque hos Baluzius [7]), quem Pagius sequutus est [8]), quique Lactantii auctoritate ductus scripsit, *tot tantasque difficultates habere eorum sententiam, qui illum Romam venisse volunt Claudio imperante, ut cogantur sint duplicare profectionem eius in Urbem, et duplex eius cum Simone mago certamen comminisci, primo quidem temporibus Claudii, dein principatu Neronis; quae res quam absurda sit, cum id a nullo veterum proditum sit memoriae litterarum, pervident istarum rerum periti.* Imo vero *istarum rerum periti* adeo nihil absurdi hic suspicantur, ut imo clare pervideant rem sic se habere, iter in Urbem ex Oriente a Petro bis emensum, bis cum Simone certatum, primum Claudio tum Nerone imperatoribus, omniaque haec a veteribus memoriae prodita esse. Quid enim? Si Paulus, ut manifesto concludimus comparatis simul huius epistolis et

---

[1]) Ed. *Aucher.* et *Mai.* [2]) *Euseb.* H. E. L. II. c. 14 coll. c. 9; *Hieronym.* Chronic.; etc. [3]) Op. cit. T. I App. n. 30 ex cod. vatican. 1358. [4]) H. E. L. II. c. 14. [5]) Ib. [6]) Lib. III. Diss. XIX. n. 73. [7]) Ad *Lactant.* De mortib. persecutor. c. 2 adnot. [8]) Critic. in Annal. *Baron.* ad an. XLIII, secund. *Baron.* XLV. nn. 2. 3.

Actis apostolorum, bis Romam venit, cur non et Petrus bis venire quiverit? Tametsi autem nemo veterum expressam utriusque itineris atque utriusque certaminis mentionem fecisset, num, quominus ea de re dubii haereremus, minime illud sufficeret, quod ii Petrum ad nos venisse cumque Simone certasse narraverint, alii quidem, ut Eusebius et Hieronymus, quum Claudius, alii vero, ut Lactantius, quem Nero rerum potiebatur? Tum Isidorus [1]) utriusque certaminis expresse meminit. Viderit ergo Baluzius, num illud duplex Petri iter commentitium haberi debeat; equidem, ut secus sentiam, hoc argumento compellor. Unus Lactantius fuit inter priscos scriptores, qui sentiret, si tamen sensit (26), Petrum primo huc advenisse Nerone imperatore; ceteri omnes, quotquot huius adventus tempus commemorarunt, id factum aiunt, quum Claudius reipublicae summam gereret, plerique anno imperii huius altero, qui erat aer. vulg. XLII, quidam ante funus regis Agrippae, quod accidit an. aer. vulg. XLIII. Utra igitur sententia potiore polleat auctoritate, quisque perspicit. Atqui Petrus, quum Iudaei Roma pulsi fuerunt a Claudio [2]), quod contigit aliquot annis post annum aer. vulg. XLII [3]), et ipse inde abiisse dicendus est inque Iudaeam reversus esse, nam praesens Hierosolymae adfuit concilio, quod habitum esse anno XLVII cuivis adparet attente expendenti rerum ac temporum adiuncta relata in posteriorem partem Actuum apostolorum [4]), procul dubio non uno tantum alterove anno post illum, quo Petrum in carcerem Herodes Agrippa coniecerat [5]). Denuo igitur iter ex Iudaea ad Urbem, quo demum cumque annorum insequentium, Petrus confecisse dicendus est.

42 Ut autem eo tandem regrediamur, unde digressi sumus, et quo tota haec disputatio de anno, quo Petrus in Urbem primo venit, pertinebat, concludimus, siquidem Marcus, ut a maioribus memoriae traditum est, evangelium scripsit post Petri adventum in Urbem et ante funus regis Agrippae (23), manifesto constare hoc evangelium scriptum fuisse vel postremis mensibus anni aer. vulg. XLII, vel ante medios anni insequentis XLIII.

43 Sed animadvertere etiam iuvat, quam bene in id tempus referatur epistola prima Petri, in qua Marci mentio fit adhuc cum Petro commorantis. Epistola haec Babylone data est [6]), Babylonis autem nomine Romam significari sentiunt communiter Catholici cum Tertulliano [7]), Eusebio [8]), et Hieronymo [9]), atque etiam illustriores quidam de Protestantibus, ut Grotius, Lardnerus, Cave [10]), Schoettgen [11]). Huius autem rei notitiam Eusebius videtur omnino acceptam referre Clementi Alexandrino et Papiae. Quum enim quaedam de Marco narrasset, atque haec subiunxisset: ***Refertur id a Clemente in sexto Institutionum libro, cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus episcopus***, continuo ita pergit: ***Marci autem meminisse Petrum in prima epistola, quam et composuisse*** AIUNT ***in ipsa Roma, idque eum indicare, Urbem figurate Babylonem appellando.*** Valesius quidem secus ac nos sensit, et sicut nos sensit Ruffinus Eusebium latine vertens, atque etiam Beda [12]). Profecto illud *meminisse* non habet ex quo dependeat, nisi ex prioribus, proinde et illud *aiunt* ad Clementem et Papiam referendum. Neque illa nominis *Babylonis* translatio insolens Iudaeo ad Iudaeos scribenti, a quibus nomen hoc Urbi fieri consuevisse testantur vetusta ipsorum scripta [13]), idemque factum videmus in Apocalypsi [14]), ac sequiore aetate a Graecis schismaticis [15]). In more autem positum fuit apud Iudaeos huiusmodi fictis nominibus ea veluti obtegere, quae proprio nomine aperte vocare nollent. Sic ipsa Babylon ab Ieremia Sesach vocata est [16]), qua de re lege dicta a Hieronymo in Commentariis [17]), sic Ioannes numero DCLXVI Antichristum designavit [18]), Hierosolymam vero nomine Sodoma [19]), sic etiam *leonis* adpellatione Esther Assuerum [20]), Paulus Neronem aut eum, qui huius vice sacra fungebatur [21]), Siracides regem quemdam [22]) significarunt; sic quoque apud Iosephum legimus, ut Marsyas Agrippae libertus Tiberii obitum domino occulto hebraeoque sermone nuntiaverit his verbis: ***Mortuus est leo*** [23]). Qui vero contendunt Babylonem esse ipsam urbem Mesopotamiae, hi dicant qui factum sit, ut ecclesiae ab ipso Petro in illa urbe constitutae atque pontificum, qui deinceps eam rexere, nulla mentio in veteribus monumentis, nulla in conciliorum actis, nulla in praesulum atque antistitum catalogis, nulla in historiis priorem aetatum iniecta reperiatur. Nam Abdiam illum, fabulosum Babyloniorum episcopum prima ipsa rei christianae aetate, nemo iam moratur [24]). In Martyrologio romano haec quidem legimus: ***XIII kal. mart. in Perside s. Polychro-***

---

[1]) Chronic. §§ 69. 70. [2]) Act. XVIII, 2. Conf. *Sueton.* Claud. § 25. [3]) Conf. Act. XII, 3—XVIII, 2. [4]) Act. XV, 1—XXIV, 27 coll. *Ioseph.* L. XX. c. 5. §§ 2. 3; c. 6. § 2; c. 7. §§ 1. 2 coll. Act. XXIV, 4; c. 8. § 9 coll. *Tacit.* Ann. L. XII. § 54 et L. XIII. § 14. [5]) Conf. Act. XII, 3—XV, 6. [6]) I Petr. V, 13. [7]) Adv. Iud. c. 9; Contr. Marc. L. III. c. 13. [8]) H. E. L. II. c. 15. [9]) De vir. illustr. c. 8. [10]) Ap. *Pott.* Prolog. in I Petr. p. 14. Gottingae 1810. [11]) Hor. hebr. in h. l. [12]) In Marc. Praef. [13]) Schir hasschirim rabba f°. 8, 3 et Matthenoth chehunna ap. *Schoettgen.* l. c. [14]) Apoc. XIV, 8 coll. XVII, 5—9. [15]) Ap. *Mazoch.* Spicileg. bibl. in I Petr. V, 13. [16]) Ier. XXV, 26 coll. LI, 41. [17]) In Ier. l. c. [18]) Apoc. XIII, 18. [19]) Ib. XI, 8. [20]) Esth. XIV, 13. [21]) II Tim. IV, 17. [22]) Eccli. LI, 4 coll. 7. [23]) Antiq. L. XVIII. c. 6. § 10. [24]) *Cave* Scriptor. eccles.

nii episcopi Babylonis . . . in persecutione Decii; at Babylon Mesopotamiae Decio imperatore, non Romanis, sed Persis subdita erat, ideoque in dubium revocatur haec Martyrologii narratio, saltem quod ad nomen Persidis et Babylonis [1]). Cosmas Indicopleustes haec loquitur: *In romana primum ditione apostolorum tempore christiana praedicatio diffusa est, statim vero postea in Perside per Thaddaeum apostolum. Et sane in catholicis epistolis scriptum est: Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone coelecta* [2]); sed ex his nihil inferas, nisi saeculo sexto Cosmam, omnium primum fortasse, opinatum esse Babylonem Mesopotamiae a Petro commemorari in epistola. Illud autem longe magis mirari subit, quod nulla originis adeo nobilis, ut haec foret, quum a Petro repeteret, memoria unquam exstiterit in Chaldaeorum ecclesia, qui eam imo constitutam aiunt, non a Petro aut ab uno ceterorum apostolorum, sed, ut narrat Eusebius [3]), a Thaddaeo quodam, vel, ut alii vocant, Adaeo, de numero septuagintaduorum discipulorum Christi, quem Thomas apostolus in eas regiones legarat [4]). Neque multum negotii nobis faciunt Iesuiabus Nisibenus et Amrus, ambo genere Chaldaei sectaque Nestoriani, qui scripsere Petrum Christi doctrinas ipsorum regionibus invexisse; vivere quippe desierunt primus ille post annum MCCXXII [5]), alter post annum MCCCXL [6]), quodque narrant de Petro, non id a maioribus accepisse, sed ex ipsa Petri epistola, Amrus saltem, collegisse omnino videtur, una eademque prorsus ratione, qua Copti Babylonem a Petro nominatam aiunt esse *aegyptiacam, urbi Cairo vicinam* [7]).

44 Quo tempore epistola scripta fuerit, argumenta nonnulla nec parvi ponderis ex ipsa petere est. Etenim, quum Petrus eam scripsit, iam nomen *Christianus* in usu erat [8]); in usu autem esse coepit intra illum annum, post quem Petrus in vincula coniectus est ab Agrippa [9]), id est an. aer. vulg. XLI (27). Petrus igitur illam epistolam scripsit, postquam vinculis solutus fuerat. Epistola missa est per Silvanum [10]). Non me latet Grotium, Pottum [11]), aliosque existimasse, quod Silvanus non hanc epistolam adtulisse dicatur, sed aliam prius conscriptam, quam illi ipsi commenti sunt, ducti verbis ὡς λογίζομαι et ἔγραψα. Sed nodum in scirpo quaesiere. Graecum ὡς λογίζομαι, non *si recte memini* vertendum est cum Potto, sed cum latino interprete *ut arbitror*, iungendumque vocibus δι' ὀλίγων, sensusque hic inde eliciendus, quem expressit idem ipse latinus interpres: *breviter, ut arbitror, scripsi*; vulgari sermone diceres: *Mi sembra non essere stato lungo in questa lettera.* Verbum autem *ἔγραψα scripsi*, non de alia, sed de hac ipsa epistola dictum esse non dubitabit, qui noverit Paulum sub finem epistolae Galatis inscriptae sic loquutum: *Videte qualibus litteris ἔγραψα scripsi vobis* [12]), in fine vero epistolae ad Hebraeos missae: *Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii; etenim δια βραχεων επεστειλα perpaucis scripsi vobis* [13]), quibus ex verbis nemo coniiciat alias epistolas Galatis aut Hebraeis prius scriptas fuisse. Neque mihi quis ea regeret, quae de verbo ἔγραψα a Ioanne in prima sua epistola usurpato alibi [14]) dixi, dummodo unimadvertat Ioannem eo usum non modo sub finem epistolae [15]), sed et intra illam non semel [16]), neque de alia epistola loqui olim missa, sed de quodam scripto, de evangelio videlicet, quod simul una cum hac epistola mittebat, et cuius quaedam veluti praefatio epistola haec ipsa haberi poterat. Silvanus ergo, quum concilium Hierosolymae habitum est, illic erat [17]). Inde cum Paulo et Barnaba Antiochiam profectus [18]) Paulo sese adiunxit, eiusque comes factus est [19]). Non tamen Paulum comitatus est, quum is primo Romam venit, neque enim vel semel a Paulo mentio eius facta reperitur in epistolis, quas tunc Romae scripsit ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philippenses, ad Philemonem, tametsi non modo huius socius Silvanus antea fuerit [20]), sed et inter ecclesiae primores haberetur, quod adparet ex iis, quae de eo testati sunt apostoli in concilio hierosolymitano [21]), atque ex eo, quod eum Petrus, non *filium*, ut Marcum, sed *fratrem* vocaverit [22]). Concilium Hierosolymae habitum est non serius anno aer. vulg. XLVII (41); quare ab hoc anno usque ad annum LVII exeuntem aut ineuntem LVIII, quum expletum est biennium, quo Paulus Romae primo degit [23]), Silvanus Romae non fuit. Non ergo scripta est prima Petri epistola missaque per Silvanum, nisi inter annos XLI et XLVII; nam post annum LVII scripta esse non potest, idque comperimus ex iis, quae dicenda supersunt.

45 Attamen non serius quam uno alterove anno, postquam Petrus vinctus fuerat ab Agrippa.

---

[1]) Lege *Baron.* ann. CCLIII. n. 139; ann. CCLIV. n. 27; *Pagi* Critic. in *Baron.* ll. cc.; *Lequien* Oriens christian. T. II. col. 1307. [2]) De opific. mundi L. II. p. 147 ed. *Montfauc.* [3]) H. E. L. I. c. 13. [4]) *Lequien.* op. cit. T. II. p. 1077; *Asseman.* Biblioth. orient. T. III. P. II. p. 4. [5]) *Asseman.* l. c. P. I p. 295. [6]) *Id.* ib. p. 581. [7]) Ap. *Pott.* l. c. p. 12. [8]) I Petr. IV, 16. [9]) Act. XI, 26 - XII, 3. [10]) I Petr. V, 12. [11]) In. h. l. [12]) Gal. VI, 11. [13]) Hebr. XIII, 22. [14]) Cap. IV. nn. 56. 60. 61. [15]) I Io. V, 13. [16]) Ib. II. 14. 21. 26. [17]) Act. XV, 22. [18]) Ib. et 32. 34. [19]) Ib. 40—XVIII, 5. [20]) Act. ib. seqq.; II Cor. I, 19; I et II Thess. I, 1. [21]) Act. XV, 22—27. [22]) I Petr. l. c. [23]) Act. XXVIII, 30.

Missa enim epistola est Christianis, qui erunt in Ponto, Galatia, Asia, Bithynia, et Cappadocia [1]. Cur autem his solis? Num ideo, quia Petrus illis regionibus Christi doctrinas invexerit? At non modo nil tale legimus in Actis Apostolorum, sed neque in hac ipsa neque in altera Petri epistola ullum vel levissimum huius rei indicium reperimus, quod gravissimo argumento est, ut ne suspicari quidem illud queamus. Imo ita loquitur Petrus, ut qui non per se ipse eas gentes docuerit, aperteque commemorat alios, qui id praestiterant [2]. Quod autem Eusebius narrat [3] id factum ab ipso Petro, vel ex eo coniecit, quod Petrus illas regiones nominavit in epistola, vel certe ita intelligere possumus, ut Petrus, non ipse per se, sed per alios illuc legatos eas christianis doctrinis instituendas curasse dicatur. Sed neque credere est ideo illis tantummodo ecclesiis scripsisse Petrum, ut qui *apostolatum circumcisionis* [4] a Christo accepisset, eae vero solae forent, quae constarent ex hominibus genere Iudaeis. Etenim et aliqui saltem illic erant alia origine utque olim idolorum cultores [5], et iam decretum fuerat, ut aliae quoque gentes, quam Iudaei, evangelium docerentur [6]. Tum non ita Petrus sibi creditum habuit *apostolatum circumcisionis*, ut non et alios docere quiverit; nam, quum epistolam scripsit, Cornelium iam Christianis adiunxerat [7] et Romanos ipsos in ipsa Urbe, ut contendimus, in concilio autem hierosolymitano ita loquutus est: *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire* GENTES *verbum evangelii et credere* [8]. Nec secus Paulus, qui sibi evangelium praeputii concreditum esse profitebatur [9], ante tamen Iudaeis, quam ceteris, in unaquaque urbe illud enarrare solebat [10]. Quare ideo illis solum gentibus Petrus scripsisse putandus est, quia solae in superioribus Asiae regionibus ad id temporis Christi doctrinam acceperant.

46 Profecto inter regiones peragratas a Paulo, qui apostolus iussus non fuit ante medium annum aer. vulg. XLII [11], neque Pontus recensetur, neque Cappadocia. A Bithynia vero probibitus etiam fuit a Deo, ne in eam ingrederetur [12], sicut et ab Asia [13]. Et quamquam Ephesi, quae provinciae Asiae princeps urbs erat in ora maris, moratus sit usque ad tertium annum [14], non tamen in huius provinciae mediterranea penetravit, ut colligimus ex ipsa historia [15]. In Galatia quidem fuit [16], multumque laboravit [17], non tamen primus Christi nomen illuc invexit, non enim id improperare Galatis omisisset in acerrima epistola, quam ad eos misit, et in qua aliqua dicit, ex quibus adparet Christum Galatis notum fuisse, priusquam ipse ad eos veniret [18]. Neque obstant illa *quod evangelizavimus vobis* [19], aut similia [20], quae leguntur in epistola; nam et Romanis, qui pluribus ante annis a Petro evangelium docti fuerant, necdum Paulum cognoverant, idem ipse Paulus haec scribebat: *Quod in me, promptum est et vobis, qui Romae estis, evangelizare* [21]. Venit autem primo Paulus in Galatiam haud multo post concilium hierosolymitanum [22] huius decreta perferens [23]. Non amplius quam quinquennium intercessit inter Petri vincula et concilium (44). Ex rerum autem serie hoc quinquennio gestarum consequens est, haud multo post quam Petrus vinculis solutus fuerat, Paulum ad munus suum adgressum Christi doctrinas adtulisse provinciis illarum finitimis interque illas positis, Pamphyliae, inquam, Pisidiae, Lycaoniae [24], quarum tamen Petrus in epistola nullam nominavit. Quum igitur primo epistolam Petrus Romae scribebat ad illas ecclesias, hae solae in Asia fuerant constitutae, aut saltem nondum ipsi innotuerat, an aliae praeter illas constitutae essent. Id altera Petri epistola confirmat. Scripta haec fuit iisdem illis, quibus prima [25], et quibus, sicut ipse Petrus dicit, Paulus quoque scripserat [26]. Quum Petrus in secunda epistola nullam illarum gentium nominet, quas in prima nominaverat, neque aliam, imo ipso epistolae initio Christianos omnes universim alloquatur, ex hoc illud consequitur, non ab eo commemorari unam aliquam Pauli epistolam certae alicui genti datam, sed universim epistolas omnes scriptas a Paulo ecclesiis Asiae, Galatis, inquam, Ephesiis, Colossensibus. Secunda igitur Petri epistola omnibus ecclesiis regionum illarum scripta est. Ergo et prima; proinde quum in prima quinque illae solum ecclesiae nominentur, aliae, quas Petrus nominaret, nondum exstiterant. Ergo primam epistolam non scripsit nisi eo ipso anno, quo eductus e carcere Romam venerat, aut summum anno insequente.

47 Adde quod compertum fit ex ipsa prima epistola hanc iis scriptam esse, qui paulo ante in

---

[1]) 1 Petr. I, 1. [2]) Ib. 12. [3]) H. E. L. III. c. 1. [4]) Gal. II, 8. [5]) 1 Petr. I, 14; II, 10, 25; IV, 3. [6]) Act. XI, 18. [7]) Ib. X, 1—48. [8]) Ib. XV, 7. [9]) Gal. II, 7 etc. [10]) Act. XIII, 5. 14. 46; XIV, 1; XVII, 2. 10. 17; XVIII, 4. 6. 19; XIX, 8. 9; XXVIII, 16. 17. 28. [11]) Ib. XIII; 2 coll. XXII, 3. [12]) Ib. XVI, 7. [13]) Ib. 6. [14]) Ib. XX, 31. [15]) Ib. XVIII, 19. 21; XIX, 1. 9. 10. [16]) Ib. XVI, 6; XVIII, 23. [17]) Gal. IV, 11. [18]) Ib. 13. 14. [19]) Gal. 1, 8. [20]) Ib. 11. [21]) Rom. I, 15. [22]) Act. XV, 25. 30. 36. 40; XVI, 1—6. [23]) Ib. XVI, 6 coll. 4 et XV, 23. 25. 41. [24]) Act. XIII—XIV. [25]) II Petr. III, 1. [26]) Ib. 15.

Christianos nomen dederant. Ea namque Petrus id unum agit, ut eos hortetur ad constantiam in bene coeptis, viamque doceat ac modum, quo id praestare ipsos oporteat; nullum ab eo vitium aut pravum morem, errorem nullum, qui inter illos obrepserit, carpi videas. Ipsa loquendi atque hortandi ratio, ipsaeque res, quae dicuntur, produnt eum, qui homines adloquitur christianis praeceptis institutisque recenter imbutos. Haec, quae indicamus, lege, atque expende: I Petr. I, 3. 13. 14. 23; II, 1. 2. 4. 5. 10. 25; III, 21; IV, 3; V, 1—4. Rem autem sic se habere, ut dicimus, plenius tibi probavero, ubi cum prima hac alteram eiusdem ipsius Petri epistolam conferas, datam longe post primam [1]), postremisque vitae suae diebus [2]), in qua ne unum quidem verbum, quod novos Christianos prodat; neque ad constantiam in bene coeptis, sed ad maiores in virtutibus progressus [3]), ad cavendos errores iam obrepentes [4]), ad poenitentiam admissorum [5]), ad exspectationem postremi iudicii [6]) eos, quibus scribit, hortatur. Iam vero, qui Idolatrae olim fuisse dicuntur in prima epistola, ii Christianis adiungi non potuerunt, nisi postquam decretum fuerat, ut etiam aliis, quam genere aut religione Israelitis, Christi eiusque doctrinae notitia praeberetur [7]). Apollonius, qui Tertulliano aetate aequalis fuit, *tamquam ex veterum traditione haec refert, Dominum apostolis suis praecepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent* [8]). Clemens Alexandrinus vero, paulo aliter, narrat Christum dixisse apostolis: *Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: Non audivimus* [9]); haec autem Clemens accepisse se profitetur ex libro quodam, cui titulus fuit *Praedicatio Petri*. Beda etiam haec refert [10]). Lege, quae hac de re scripsit Bacchinius [11]). Iam, si verum id foret, quum Christi verba nequeant ita intelligi, veluti is prohibuerit alios ecclesias constituere intra illud tempus, nam Antiochiae constitutam a Petro ecclesiam fuisse oportet non serius anno aer. vulg. XXXV, aut summum ineunte XXXVI, quum eam septem annis ipse rexerit antequam Romam proficisceretur, dicendus esset Christus vetuisse solummodo, ne aliis, quam Israelitis, evangelium traderetur intra illos duodecim annos [12]), in quem sensum commodissime accipi possunt ea verba, qualia a Clemente referuntur. Hoc autem posito, quum Christus mortem obierit verno an. aer. vulg. XXIX, ea, quae de Cornelio centurione narrantur [13]), gesta esse potuerunt posterioribus mensibus an. XL, ita ut biennium fere ex illo superfuerit usque ad Petri profectionem Romam versus. Verum ingenue fatear illam historiam, quam Clemens, ideoque, ut iure inferimus, et Apollonius, ex *Praedicatione Petri* exscripserunt, mihi videri originem habuisse ex his, quae legimus in Actis apostolorum: *Iesus . . . praecepit eis; ab Ierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem patris, quam audistis, inquit, per os meum, quia... baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies* [14]); ex quo Christi praecepto consequebatur vetari apostolos discedere Hierosolyma, nisi *duodecimo post die* [15]). Haec itaque missa facio, praesertim quia, quo citius aliis gentibus christiana dogmata invehi coeperint, eo melius erit sententiae nostrae, firmiusque evadet argumentum, quod nunc urgemus, ut liqueat primam Petri epistolam serius, quam dicimus, scribi non potuisse. Sed illud pro comperto est, iis gentibus evangelium tradi non prius coepisse, quam sexto ut minimum anno ab obitu Christi. Etenim, quum id fieri decretum est [16]), longius aliquod tempus adfluxerat, ex quo Paulus iam Christianus Hierosolymam primo venerat [17]), illuc autem primo venerat *post annos tres*, ex quo Christianus factus fuerat [18]), nec Christianus fieri potuit nisi post biennium ab obitu Christi, quod ipsa historia nos docet. Etenim an. aer. vulg. XXIX, quo Christus mortem obiit, dies festus pentecostes non citius quam in primos dies mensis maii incidere potuit. Post illa, quae eo die evenere, describit Lucas primorum Christianorum morem vivendi [19]), atque eos augeret *Dominus, . . . qui salvi fierent, quotidie in idipsum* [20]), atque ita describit, ut adpareat, non paucorum dierum, sed aliquot saltem mensium historiam ab eo perstringi. Narrat deinde claudum a Petro restitutum [21]), moxque, quid apostoli agerent, exponit, denuoque quemnam vivendi morem tenerent Christiani omnes [22]), non alium eo, quem descripserat prius, quare, non de illo ipso tempore, de quo prius, loqui dicendus est, sed de insequente, quod item menses aliquot saltem complectitur. Succedit narratio de casu Ananiae atque uxoris [23]), continuoque alia series rerum postea gestarum [24]), utque magis augeretur *credentium in Domino multitudo* [25]), quae aeque ac priora, aliquot mensium opus fuere procul dubio. Hinc apostoli denuo sistuntur concilio [26]), sed dimissi *omni . . . die non cessabant in templo et circa domos docentes* [27]). Post haec, *crescente numero discipulorum, factum*

[1]) II Petr. III, 15. 16. [2]) Ib. I, 13—15. [3]) II Petr. I, 4—8. 10. 12. 13; III, 1. 18. [4]) Ib. I, 20; II, 1—3. 10—22; III, 16. 17. [5]) Ib. I, 9; III, 9. [6]) Ib. I, 8. 11; II, 9; III, 3—14. [7]) Act. XI, 18. [8]) Ap. *Euseb.* H. E. L. V. c. 18. [9]) Stromat. L. VI, § 5. p. 636. [10]) In Act. apostol. c. 13. [11]) De ecclesiast. hierarch. orig. P. I. c. 3 §. 3. pp. 192 seqq. [12]) Conf. Luc. XXIV, 47; Act. X, 28; XI, 1—3. 19; *Euseb.* H. E. L. II. c. 1. [13]) Act. X. [14]) Ib. I, 4. 5; Conf. Luc. XXIV, 49. [15]) Ib. XXII, 7; Act. I, 3; II, 1. [16]) Ib. XI, 18. [17]) Ib. IX, 26—XI, 1—18. [18]) Gal. I, 18. [19]) Act. II, 42—47. [20]) Ib. 47. [21]) Ib. III, 1—IV, 1—31. [22]) Ib. IV, 32—35. [23]) Ib. V, 1—11. [24]) Ib. 12—16. [25]) Ib. 14. [26]) Ib. 17—41. [27]) Ib. 42.

est murmur Graecorum adversus Hebraeos [1]), quare septem diaconi electi sunt [2]); quibus electis *verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde, et cetera* [3]). Sequuntur Stephani res gestae, qui *faciebat prodigia et signa magna in populo* [4]), eiusque disputationes in pluribus synagogis [5]). Quis ergo non videat inter Christi necem et Stephani longius tempus, quam unum, intercedere oportuisse? Quo semel posito ventum est ultra medium ann. aer. vulg. XXX. Stephano interempto Paulus Christianos insectari coepit, qua de re ita Lucas [6]) atque ipse Paulus [7]) loquuntur, ut a vero minimum aberraverit, qui hanc insectationem anno continuatam dixerit. Attamen tempus longius brevius, quam integer unus, satis est, quo biennium a Christi obitu expleamus, dicamusque Paulum Christianis non prius sese adiunxisse, quam anno aer. vulg. XXXI. nec ante diem festum paschatis. Adde tres insuper annos, quos Paulus Hierosolymam venit ad Petrum primo invisendum, adde praeterea tempus, quod postea effluxit usque ad decretum de evangelio gentibus quibuscumque tradendo, pertinges saltem ad extremum annum aer. vulg. XXXIV, aut, quod veri longe similius est, ultra primos menses insequentis anni XXXV. Superest itaque septennium ut plurimum usque ad Petri profectionem Hierosolyma Romam versus, illud ipsum, quod creditur in regenda ecclesia Antiochenorum insumpsisse [8]), ultra quod illis de caussis superius positis nequit ullo pacto credi ad aliquot annos dilata fuisse epistolae scriptio. Denique, si haec scripta fuisset, postquam latius Christi doctrina fuerat propagata, plurimique ceterarum gentium in Christianos nomen dederant, cur unos Iudaeos Petrus nominatim in ea commemorasset? Nec iuvat opponere epistolam ad Hebraeos scriptam; nam ad hos unos utique spectabat tum epistolae argumentum tum Pauli hanc scribentis consilium, non item argumentum epistolae Petri aut consilium, quo scripta fuit, quoniam, etsi Petrus in ea solos Iudaeos nominatim compellet, una tamen cum his alios quoque adloquitur, qui idola ad id coluerant. Patet igitur ideo illos solos nominari, quia isti potissima et maxima pars erant illarum ecclesiarum, alii vero alio genere aliaque olim religione nisi perpauci, proinde epistolam datam esse eo tempore, quo diximus.

48 Quibus positis non modo tempus scriptae epistolae illud ipsum fuisse videtur, quo Marcus Romae cum Petro adhuc degens, ut veteres memoriae tradiderunt, scripsit evangelium, sed nequit ullo pacto aliud esse.

49 Quae quum ita sint, tum veterum testimonia, tum historia, quae est in libro Actuum apostolorum, tum tempus editi a Luca evangelii, atque itineris Romam a Petro primo confecti, tum denique argumenta gravissima, quae suppeditat prima epistola Petri, in id mirifice congruunt, ut dicatur Marci evangelium editum, vel postremis mensibus anni aer. vulg. XLII, vel ante medios insequentis anni XLIII.

QUAESTIO III

Quibus hoc evangelium scriptum fuerit et qua lingua.

50 Ex iis, quae de Marci evangelio literis consignarunt Papias, Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, postque hos Origenes, Eusebius, Athanasius *ὁ ψευδώνυμος*, Epiphanius, Hieronymus, aliique (3. 4), comperimus Marcum in Urbe civibus, quos Petrus docuerat, ipsorum rogatu, evangelium scripsisse.

51 Huius rei veritati non leve momentum addit accurata inspectio ipsius evangelii, praesertim si positum illud sit, Marco, qui scripsit post Matthaeum (13), huius evangelium notum lectumque fuisse, qua de re etsi in alio loco [9]) aliquid diximus, iuvat tamen eam plenius demonstrare. Etenim uterque narrat quidem plura pauciorave, quae alter praeterit, tamen si demas, quidquid est in Marci evangelio a versiculo vicesimo nono primi capitis ad versiculum decimum septimum secundi capitis, et a versiculo tricesimo quinto quarti capitis ad versiculum decimum tertium sexti capitis, in quibus plerumque alius est ordo apud Marcum quam apud Matthaeum, in reliquis ordo plane idem servatur ab utroque tum in rebus narrandis, tum in sermonibus referendis, nisi quod Matthaeus narrat eiectos e templo venditores emptoresque ante, Marcus vero post arefactam ficum Christo iubente [10]), unamque senten-

[1]) Act. VI, 1. [2]) Ib. 2–6. [3]) Ib. 7. [4]) Ib. 8. [5]) Ib. 9. 10. [6]) Ib. VIII, 1. 3; IX, 1; XI, 19. [7]) Ib. XXII, 4. 5. 19; XXVI, 9. 11; Gal. I, 13; Philipp. III, 6. [8]) *Hieron.* Chronic.; *Gregor.* Epistolar. L. VII. ad Eulog. ep. XL al. XXXVII. [9]) Cap. I. n. 19. [10]) Matth. XXI, 12. 13. 17–19; Marc. XI, 12–17.

tiam ex quadam Christi praedictione uterque retulit, sed non eodem in loco positam [1]). Nemo autem suspicabitur casu factum, ut uterque tam accurate eumdem ordinem tenuerit, quin alterius opus noverit, praesertim quum neuter ordinem rerum gestarum ac temporum sectatus sit [2]), quod de Marco aperte testati sunt Papias [3]) et Hieronymus [4]).

52 Sed gravius illud est, quod non raro iisdem prorsus verbis uterque tum res gestas narrat, tum aliorum sermones dictaque refert, plerumque autem fere iisdem aut plane similibus. Operae pretium erit haec simul composita iudicare.

MARCUS			MATTHAEUS			MARCUS			MATTHAEUS		
I	„	16	IV	„	18	VIII	„	29	XVI	„	15
„	„	17	„	„	19	„	„	32	„	„	22
„	„	18. 19	„	„	20. 21	„	„	33	„	„	23
„	„	22	VII	„	28. 29	„	„	34. 37	„	„	24—26
„	„	40	VIII	„	2	IX	„	2	XVII	„	1. 2
„	„	41	„	„	3	„	„	5	„	„	4
„	„	44	„	„	4	„	„	7	„	„	5
II	„	5	IX	„	2	„	„	19	„	„	17
„	„	9. 10	„	„	5. 6	„	„	28	„	„	19
„	„	14	„	„	9	X	„	7— 9	XIX	„	5. 6
„	„	15	„	„	10	„	„	22	„	„	22
„	„	17	„	„	12. 13	„	„	25	„	„	24
„	„	20	„	„	15	„	„	28	„	„	27
III	„	2	XII	„	10	„	„	31	„	„	30
„	„	5	„	„	13	„	„	33	XX	„	18. 19
„	„	12	„	„	16	„	„	38	„	„	22
„	„	35	„	„	50	„	„	40	„	„	23
IV	„	3—8	XIII	„	3— 8	„	„	42—45	„	„	25—28
„	„	9	„	„	9	XI	„	8. 9	XXI	„	8. 9
„	„	15—20	„	„	19—23	„	„	15	„	„	12
„	„	34	„	„	34	„	„	17	„	„	13
„	„	41	VIII	„	27	„	„	28—33	„	„	23—27
V	„	13	„	„	32	XII	„	1. 12	„	„	33—46
„	„	40	IX	„	24	„	„	14—17	XXII	„	16—21
VI	„	3	XIII	„	57	„	„	38—40	XXIII	„	6. 7. 13
„	„	4	„	„	„	XIII	„	5— 8	XXIV	„	4— 7
„	„	26	XIV	„	9	„	„	13	„	„	9. 13
„	„	34	„	„	14	„	„	14	„	„	15. 16
„	„	37	„	„	16	„	„	17. 18	„	„	19. 20
„	„	41	„	„	19	„	„	19—23	„	„	20—25
„	„	42. 43	„	„	20	„	„	24—32	„	„	29—36
„	„	45	„	„	22	XIV	„	2	XXVI	„	5
„	„	50	„	„	27	„	„	4. 5	„	„	8. 9
„	„	53	„	„	34	„	„	6. 7. 9	„	„	10. 11. 13
„	„	56	„	„	36	„	„	18	„	„	21
VII	„	6. 7	XV	„	8. 9	„	„	20. 21	„	„	23. 24
VIII	„	2	„	„	32	„	„	22—25	„	„	26—29
„	„	6	„	„	36	„	„	26—31	„	„	30—35
„	„	8	„	„	37	„	„	32—72	„	„	36—75
„	„	27	XVI	„	13	XV	„	1—47	XXVII	„	1—61

[1]) Matth. XXIV. 14; Marc. XIII, 10. [2]) Lib. III. Diss. I. un. 3. 10. 22. [3]) Ap. *Euseb.* H. E. L. III. c. 39. [4]) Conf. Commentar. in Matth.

53 Ad haec verba quaedam sacrorum librorum, quae Matthaeus retulit, sed aliter ac sunt in codicibus hebraicis aut graecis, retulit etiam Marcus, verum non ita, ut in illis codicibus leguntur, sed ut apud Matthaeum; quae res nequit non argumento esse Marcum ex Matthaeo illa transcripsisse. Ea sunt in his evangeliorum capitibus: Marc. I, 2 et Matth. XI, 10 ex Mal. III, 1; Marc. I, 3 et Matth. III, 3 ex Is. XL, 3; Marc. VII, 10 et Matth. XV, 4 ex Ex. XXI, 17; Marc. XII, 26 et Matt. XXII, 32; ex Ex. III, 6; Marc. XV, 27 et Matth. XXVI, 31 ex Zach. XIII, 7.

54 Quid vero quod ab utroque saepissime iisdem in locis eaedem fiant animadversiones circa eadem rerum adiuncta, easdemque harum rerum caussas, atque eosdem effectus inde sequutos, et quidem raro aliis atque aliis verbis, ut Marc. XII, 13 et Matth. XXII, 15; Marc. XII, 15 et Matth. XXII, 18; Marc. XIV, 11 et Matth. XXVI, 16, aut paucis immutatis, ut Marc. X, 41 et Matth. XX, 24; Marc. XI, 41. 32 et Matth. XXI, 25. 26; Marc. XII, 12 et Matth. XXI, 46, sed plerumque unis atque iisdem, ut Marc. I, 16 et Matth. IV, 18; Marc. I, 22 et Matth. VII, 29; Marc. III, 2 et Matth. XII, 10; Marc. IV, 34 et Matth. XIII, 34; Marc. V, 40 et Matth. IX, 24; Marc. VI, 3 et Matth. XIII, 57; Marc. VI, 26 et Matth. XIV, 9; Marc. VI, 42 et Matth. XIV, 20; Marc. X, 22 et Matth. XIX, 22; Marc. XI, 9 et Matth. XXI, 9; Marc. XIII, 14 et Matth. XXIV, 15; Marc. XIV, 40 et Matth. XXVI, 43; Marc. XIV, 43 et Matth. XXVI, 47; Marc. XV, 5 et Matth. XXVII, 14; Marc. XV. 10, et Matth. XXVII. 18; Marc. XV, 20 et Matth. XXVII, 31; Marc. XV, 39 et Matth. XXVII, 54.

55 Alter igitur alterius librum plane noverat, atque adeo hunc transcribebat quam saepissime, isque fuit Marcus, utpote qui post Matthaeum librum suum ediderit (13).

56 Non equidem diffiteor similitudinem, quae inter utriusque evangelii loquutiones esse deprehenditur, magnam partem repeti posse ex aramaici sermonis inopia, quo nativo quum Marcus aeque ac Matthaeus et Matthaei interpres uterentur, graecum vero parum callerent, consequens erat, ut quum graece eadem vel facta narrabant, vel verba referebant, non aliter facere possent, quam unis iisdemque loquutionibus, utpote ad verbum expressis de loquutionibus aramaicis, quas item unas easdemque sermonis huius inopia coacti adhibuissent, si hoc sermone libros suos exarassent [1]). Verum, praeterquam quod nequit haec caussa esse, cur similem imo eumdem rerum narrandarum ordinem uterque sequutus sit, maior quoque est illa loquutionum similitudo, quam ut ex hac una caussa repeti queat. Tum licet id darem, integra tamen sua vis maneret tribus reliquis argumentis (51. 53. 54).

57 Cur vero in iisdem ipsis capitibus, quae Marcus ex Matthaeo transcripsit, loquutiones quaedam eaedem sint, quaedam vero aliae dissimilesque, aut ego fallor, aut una haec ratio adferri potest, Marcum usum esse, non graeco, sed syrochaldaico Matthaei exemplari, quod quum verbatim redderet, factum est, idque ea quoque de caussa, quam modo (56) diximus, ut plura unis atque iisdem verbis expresserit, quibus ipse graecus Matthaei interpres, alia vero aliis atque aliis. Huius rei argumento illud etiam est, quod, ubi graecum exemplar Matthaei habet nomen *ἑκατονταρχον*, Marcus scripsit *κεντυριωνα;* cur autem ipse graece scribens graecum nomen, quod reperisset apud Matthaeum, nomine latino commutasset, nisi quia non graecum Matthaei exemplar haberet ante oculos, sed syrochaldaicum, in quo forte קנטרונא legebatur, sicut legitur apud interpretem syrum, scilicet quia nomen hoc, ut alia etiam atque alia nomina latina, in sermonem Iudaeorum ac Syrorum invaserat. Insuper quamdam Christi sententiam uterque refert, Matthaeus quidem his verbis: *Ὑμεις δε λεγετε· Ὁς ἀν εἰπῃ τῳ πατρι ἠ τῃ μητρι· Δωρον, ὁ ἐαν ἐξ ἐμου κ. τ. λ. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri: Munus quodcumque est ex me etc.* [2]), his vero Marcus: *Ὑμεις δε λεγετε· Ἐαν εἰπῃ ἀνθρωπος τῳ πατρι ἠ τῃ μητρι· Κορβαν, (ὁ ἐστι δωρον), ὁ ἐαν ἐξ ἐμου κ. τ. λ. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri: Corban (quod est donum), quodcumque ex me etc.* [3]). Adparet Marcum haec accepisse ex Matthaeo. Cur autem non *donum* simpliciter, ut legitur in Matthaeo, ipse etiam scripsit, sed *corban, quod est donum,* nisi quia utens Matthaei exemplari syrochaldaico reperit in eo nomen קרבן, quod et apud syrum Matthaei interpretem reperitur, idque ipse Marcus retinuit, graecus autem interpres Matthaei graece vertit. Quod si Marcus graeco exemplari Matthaei fuisset usus, quorsum nomen hoc syrochaldaicum usurpasset, quod apud Matthaeum minime erat? Sed argumenta plura suggeret comparatio illarum graecarum loquutionum Matthaei et Marci, quas, etsi non easdem omnino, ex eadem tamen syrochaldaica loquutione adparet esse translatas. Quod si secus foret nec syrochaldaico, sed graeco illius evangelii exemplari Marcus fuisset usus, quorsum is, qui tam multa transcripsisset ita, ut sunt in ipso hoc graeco exemplari, quorsum, inquam,

---

[1]) Lege *Millii* Prolegomena p. XIII. col. 1. [2]) Matth. XV, 5. [3]) Marc. VII, 11.

cetera item transcribere omisset, sed quaedam nullo sententiae emolumento aut discrimine aliis verbis commutasset, tametsi buius mutationis nulla esset ratio? Quin imo credibilius est Marcum non alterum evangelium fuisse scripturum, sed potius ipsum evangelium Matthaei additis demptisque, quae vellet, novis Christianis traditurum.

58 Hoc igitur posito, quod Marcus Matthaei evangelium noverit, pluraque ex eo exscripserit, levi negotio deprehendimus Marcum aliis scripsisse, quam Iudaeis. Id enim prodit usus testimoniorum ex libris sacris prolatorum, qui est in Marci evangelio alias prorsus eo, qui est in evangelio Matthaei. In Matthaeo quippe sex saltem supra quadraginta buiusmodi testimonia leguntur, in Marco solum undeviginti, omissis etiam praeclarioribus vaticiniis de Christo [1]). Pleraque illorum testimoniorum, quae leguntur apud Matthaeum, a Christo prolata fuerant, multa tamen ab ipso Matthaeo ad argumentationem, quod Marcus non fecit, nisi semel atque iteram dumtaxat [2]). Scilicet Marcus iis scribebat, quibus nondum satis perspectae erant scripturae sacrae nec ullus adbuc earum usus. Parabolae, quae Iudaeos delectare admodum solebant, et quarum perplarimas Matthaeus retulit a Christo narratas, Marcus fere omnes omittit, neo plures quam quatuor apud eum reperies, easque ceteris gentibus aeqae ac Iudaeis commonefaciendis docendisque opportunas, quarum una dicta fuerat de ipsius Christi doctrina [3]), altera de futuro ecclesiae incremento [4]), tertia de hoc eodem [5]), quarta deinque de eo, quod Deus Israelitis a se reiectis alios sibi gentes esset adiuncturus [6]). Praeterit Marcus eu fere omnia, quae apud Matthaeum leguntur dicta iu Pharisaeos ac Iudaeos ceteros, et quibus borum vitia carpuntur [7]). Multa etiam Christi verba resque multas ab hoc gestos omittit, quae ad unos Iudaeos, aut certe ad hos magis, quam ad alios, pertinebant [8]); quo et illud pertinet, quod ne semel quidem *legis* mentionem iniiciat. Contra vero, secus ao fecit Matthaeus declarat, atque explicat, ubi opus est, ea, quae Iudaeorum propria eraat, quaeque ipsorum regionem, mores, et ritus praesertim, adtingebaat [9]). Praeterit aatem illa, quae iu ceteras gentes dicta, aut bis vitio versa minusve honorifica, Matthaeus retulerat [10]). Haec omnia adtente perpensa, praesertim ubi positum sit Marcum usum esse Matthaei evangelio, facile cuivis persaadebuat, ut credat Marci evangelium in aliarum geatiam, qaam Iudaeorum, usum scriptum esse.

59 Nec desunt iu boo evangelio, quae, licet argumento, saltem *ἀποδεικτικῷ*, esse nequeant Marcum scripsisse Romanis, belle tamen cum hac sententia componantur. Qui a Graecis atque adeo a ceteris scriptoribas novi testamenti *ἑκατοντάρχος* adpellatur [11]), enm Marcus dicit *κεντυρίωνα*; qaorsum vero graece loquentibus graece scribens pro graeco nomine latinum usurpavit? Forte (57) quia nomen hoo inveuit in syrochaldaico Matthaei exemplari [12]). Attamen et graecas Matthaei interpres graecum nomen usurpavit [13]), et ipse Marcus *κεντυρίωνα* scripsit etiam, ubi ea narrat, quae Matthaeus aiuime narravit [14]). Sic quoque, quantum valeat *λεπτὰ δύο duo minuta* [15]), lectorem docet comparatioua facta cum moaeta Romanoram: *ὅ ἐστι κοδράντης quod est quadrans.*

60 Plane autem res, de qua agimus, confecta foret, si eorum opinio obtineret, qui contendunt Marcum latine scripsisse. Opinionem hanc multis argamentis defendit Baronius [16]), nec recentius quam saeculo VI, invectam credere aat saspicari saltem suadet Catalogus pontificum romanorum (26) illo ipso saeculo conscriptum [17]), eam tamen prorsus refellit Tillemontius [18]). Enimvero credibile haud est Marcum latine scivisse, quidquid secus visam sit Baronio, viro ceteroquin summo, praesertim si vera sint, quae disputavimus superius, Marcum scripsisse intra annum ex quo Romam venerat cum Petro. Exemplar Marci, cuius pars Venetiis adservatur, pars Pragae, non graece, ut quidam narraverunt, sed latine scriptum esse demonstravit Montfauconius [19]). An vero sit ipsum *αὐτόγραφον* Marci, ut ferunt, ii viderint, qui opis suae esse putabunt hac de re ferre iudicium. Illud mihi pro comperto est, latinum evangelium Marci, quod pars est vulgatae interpretationis bibliorum,

---

[1]) Matth. I, 23; II, 6. 15. 18; IV, 3—16 coll. Marc. I, 14; Matth. VIII, 17 coll. Marc. I, 34; Matth. XII, 18; Matth. XXI, 5 coll. Marc. XI, 3. 4; Matth. XXVII, 9; Matth. XXVII, 35 coll. Marc. XV, 24. [2]) Marc. I, 2. 3; XV, 28. [3]) Ib. IV, 3—9 Conf. Matth. XIII, 3—9. [4]) Marc. IV, 26—29. [5]) Ib. 30—32. Conf. Matth. XIII, 31—32. [6]) Marc. XII, 1—9. Conf. Matth. XXI, 33—41. [7]) Matth. III, 7—10; V—VII; XI, 16—24; XII, 27. 28. 30. 33—45; XV, 12—14; XVI, 2—4; XXI, 31. 32; XXIII, 2—5. 13—39. [8]) Matth. X, 15. 17. 23. 25. 41; XI, 1—15; XII, 5—7. 11. 12. 23; XIII, 17; XV, 24; XVI, 11. 12; XVII, 13; XVIII, 17; XIX, 28 postrem.; XXI, 10. 11. 14—16. 43. 44; XXIII, 8—11; XXIV, 26. 30 prim.; XXVI, 3. 53; XXVII, 6—10. 19. 24 25. 52. 53. 62—66; XXVIII, 3. 4. 11—15. [9]) Marc. I, 5. 9. 44; II, 18; VII, 2—4. 11; XIV, 12; XV, 42. [10]) Matth. VI, 32; X, 5; XV, 23. 24; XXIV, 9. [11]) Matth. VIII, 5 etc.; Luc. VII, 2 etc. [12]) Matth. XXVII, 54 coll. Marc. XV, 39. [13]) Matth. II. cc. etc. [14]) Marc. XV, 44. 45. [15]) Ib. XII, 42. [16]) Annal. eccl. an. XLV. §§ 39—41. [17]) In vita Petri Conf. *Anastas. Bibliothecar.* Vita s. Petri. [18]) Mémoir. pour servir à l'H. E. s. Marc. not. 4. [19]) Diar. italic. c. 4. pp. 55 seqq.

non esse ipsum ἀρχέτυπον, sed versum ex graeco. Etenim, ubi graeca Matthaei et Marci eadem sunt, sunt eadem aut fere etiam latina. Id autem, si latina haec scripsisset ipse Marcus, aliter factum esse non posset, nisi si graecus Marci interpres graeca Matthaei exscripsisset, et latina Marci latinus interpres Matthaei; quod dubito, an cuipiam verisimile fieri queat. Unum praeterea interrogabo, quod mihi satis est, cur haec opinio explodenda videatur. Si Marci forent latina haec verba: ***Mulier, ... cuius filia habebat spiritum immundum*** [1]), quae tamen quod ad leges grammaticas nihil peccant, qui factum est, ut graecus interpres ea tam barbare redderet, sic, hebraice magis quam graece, scribens: *Γυνη, . . . ἡς εἰχε το θυγατριον αὐτης πνευμα ἀκαθαρτον* ***Mulier, . . . cuius habebat filia eius spiritum immundum?***

QUAESTIO IV

Quo auctore scripsit Marcus.

61 Sed et illud, quod prisci testantur (23), Marcum Petro auctore atque adiutore scripsisse, ex quo Marci evangelium ipsius Petri opus dici atque haberi soleret, sicut narrant Tertullianus [2]), Hieronymus [3]), aliique [4]), quibus assentiunt Irenaeus [5]) et Origenes [6]), non modo minime diffitetur, sed vere dictum putabit, qui adtente haec duo evangelia, Matthaei et Marci, inter se contulerit; quem locum iam adtigit Eusebius [7]).

62 Videas enim a Marco commemorari atque etiam Matthaei narrationibus adiici atque interseri minutiora quaedam rerum, temporum, locorum, ac personarum, adiuncta, quae testem oculatum produnt habentem omni ex parte perspecta illa, quae narrantur, sive ea sint, quibus Matthaeus minime interfuit, sive ea, quibus praesentem ipsum adfuisse constat, aut veri saltem simile habetur. Huius rei specimina infra exhibemus, ac primum quod adtinet ad illa, quorum Matthaeus testis oculatus minime esse potuit.

MATTHAEUS	MARCUS
IV, 21 Et procedens inde	I, 19 Et progressus inde pusillum
„ 22 Illi autem statim, relictis retibus et patre secuti sunt eum	„ 20 Et relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum
VIII, 14 Et cum venisset Iesus in domum Petri	„ 29 Et protinus egredientes de synagoga venerunt in domum Simonis et Andreae cum Iacobo et Ioanne
„ 16 Vespere autem facto	„ 32 Vespere autem facto, cum occidisset sol
„ „	„ 33 Et erat omnis civitas congregata ad ianuam
. . . .	„ 35 Et (mane πρωι) diluculo valde
„ 3 Et confestim mundata est lepra eius	„ 42 Et, cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est.
IX, 1. 2 Et venit civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum.	II, 1—4 Et iterum introivit Capharnaum post dies. Et auditum est, quod in domo esset, et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad ianuam, et loquebatur eis verbum. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur. Et, cum non possent offerre eum illi prae turba, nudaverunt tectum, ubi erat, et patefacientes sub-

1) Marc. VII, 25. 2) Adv. Marcion. L. IV. c. 8. 3) De vir. ill. c. 1. 4) Catalog. pontific. scriptum saec. VI, ap. *Schelestrate* l. c.; Catalog. alter script. saec. IX ap. *Eumd.* op. cit. T. I. n. 22. p. 6tt; *Anastas. Bibliothecar.* l. c, 5) Haer. L. III. c. 1. 6) In Matth. T. 1. ap. *Euseb.* H. E. L. VI. c. 25. 7) Dem. evang. L. III. § 5. pp. 120—122.

	miserunt grabatum, in quo paralyticus iacebat
IX, 3 Et ecce quidam de scribis	II, 6 Erant autem illic quidam de scribis sedentes
„ 25 Et cum eiecta esset turba, intravit et tenuit manum eius, et surrexit puella	V, 40—43 Ipse vero, eiectis omnibus, assumit patrem et matrem puellae, et qui secum erant, et ingreditur, ubi puella erat iacens. Et tenens manum puellae: ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella, tibi dico, surge. Et confestim surrexit puella, et ambulabat; erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. Et praecepit illis vehementer, ut nemo id sciret. Et dixit dari illi manducare.
XVII, 2 Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix	IX, 2 Et vestimenta eius facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.
„ 4 Respondens autem Petrus dixit ad Iesum . . . . Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum	„ 4. 5 Et respondens Petrus ait Iesu . . . Faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliae unum. Non enim sciebat, quid diceret, erant enim timore exterriti.
„ 9 Et descendentibus illis de monte praecepit eis Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem donec filius hominis a mortuis resurgat	„ 8. 9 Et descendentibus illis de monte praecepit illis, ne cuiquam, quae vidissent, narrarent, nisi cum filius hominis a mortuis resurrexerit. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes, quid esset, cum a mortuis resurrexerit
XXVI, 43 Erant enim oculi eorum gravati	XIV, 40 Erant enim oculi eorum gravati, et ignorabant, quid responderent ei.

Quod autem adtinet ad narrationes earum rerum, quibus ipse Matthaeus interfuerat, aut certe potuit interfuisse, multo plura proferre possumus. Illorum aliquot plene exhibebimus, reliqua indicare satis erit.

MATTHAEUS	MARCUS
XII, 15 Et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes	III, 7—10 Et multa turba a Galilaea et Iudaea secuta est eum . . . Et dixit dicipulis suis, ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent
VIII, 24 Ipse vero dormiebat	IV, 38 Et erat ipse in puppi super cervical dormiens
„ 34 Et ecce tota civitas exiit obviam Iesu	V, 14—16 Et egressi sunt videre, quid esset factum. Et veniunt ad Iesum, et vident illum, qui a daemonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanae mentis. Et timuerunt. Et narraverunt illis, qui

	viderant, qualiter factum esset ei, qui daemonium habuerat, et de porcis.
IX, 19 Et surgens Iesus sequebatur eum et discipuli eius.	V, 24 Et abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum.
„ 22 At Iesus conversus et videns eam dixit: etc.	„ 30—34 Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem, quae exierat de illo, conversus ad turbam aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, et dicis: Quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam, quae hoc fecerat. Mulier vero timens et tremens, sciens, quod factum esset in se, venit, et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei etc.
XIV, 19 Et, cum iussisset turbam discumbere super foenum.	VI, 39. 40 Et praecepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride foenum. Et discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos.
XVI, 5 Obliti sunt panes accipere.	VIII, 14 Et obliti sunt panes sumere, et nisi unum panem non habebant secum in navi.
XVII, 14 Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo, genibus provolutus ante eum, dicens.	XI, 13—16 Et veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam circa eos, et scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est, et expaverunt, et accurrentes salutabant eum. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis? Et respondens unus de turba dixit.
XVII, 22 Et contristati sunt vehementer.	IX, 31 At illi ignorabant verbum, et timebant interrogare eum
XVIII, 1 In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis, putas, maior est in regno caelorum?	„ 32. 33 Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum maior esset.
XX, 17 Et ascendens Iesus Ierosolymam.	X, 32 Erant autem in via ascendentes Ierosolymam, et praecedebat illos Iesus, et stupebant, et sequentes timebant.
„ 32 Et stetit Iesus, et vocavit eos.	„ 49. 50 Et stans Iesus praecepit illum vocari. Et vocant caecum dicentes ei: Animaequior esto; surge vocat te. Qui proiecto vestimento suo exiliens venit ad eum.
XXI, 6 Euntes autem discipuli fecerunt, sicut praecepit illis Iesus.	XI, 4—6 Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in bivio, et solvunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum? Qui dixerunt eis, sicut praeceperat illis Iesus. Et dimiserunt eis.

XXVI, 56 Omnes relicto eo fugerunt.	XIV, 50. 51 Relinquentes eum omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo. Et tenuerunt eum. At ille reiecta sindone nudus profugit ab eis.

Haec etiam praeterea lege, atque expende.

MATTHAEUS	MARCUS	MATTHAEUS	MARCUS
. . . .	III „ 20	XV „ 21	VII „ 24
XII „ 47	„ „ 32	XVII „ 17	IX „ 19—26
XIII „ 10	IV „ 10	„ „ 18	„ „ 27
VIII „ 18. 23	„ „ 35. 36	„ „ 21	„ „ 29
„ „ 28	V „ 1. 2	XVIII „ 1	„ „ 32. 33
„ „ 29	„ „ 6. 7	XIX „ 14	X „ 14
„ „ 30	„ „ 11	„ „ 15	„ „ 16
„ „ 32	„ „ 13	„ „ 16	„ „ 17
. . . .	„ „ 35	„ „ 21	„ „ 21
XIII „ 58	VI „ 5. 6	„ „ 23	„ „ 23
XIV „ 16. 17	„ „ 37. 38	. . . .	XI „ 16
„ „ 20	„ „ 43	XXVI „ 18	XIV „ 13—15
„ „ 35. 36	„ „ 54—56	„ „ 74	„ „ 72

Quisquis haec diligenter consideraverit, non poterit, quin intelligat, Marco, utpote qui a se narrata minime viderit (2), nec in Matthaeo omnia reperiret, scribendi auctorem adiutoremque eum fuisse, qui illa suismet ipse oculis conspexerat.

63 Hunc autem fuisse Petrum, praeter veterum testimonium, non una ratio credere suadet petita ex hoc ipso evangelio, praesertim si cum evangelio Matthaei id comparemus. Etenim Marcus historiam exorsus ab ipsa prima evangelii promulgatione, quae per Ioannem Baptistam facta est [1]), moxque paucis ea perstringens, quae in Iordane sunt gesta [2]), paucioribus vero Christi secessum in deserta [3]) eiusque doctrinae summam [4]), continuo pleniorem ac distinctiorem narrationem rerum a Christo postea gestarum adgreditur, primumque omnium narrat, ut Christus Petrum ad se adiunxerit [5]). Praeterea referens illa, quibus Petrus interfuerat, Petri mentionem Marcus iniicit non raro, etiam ubi Matthaeus eam emisit. Lege haec: Marc. I, 36; Marc. V, 37. 38 et Matth. IX, 23; Marc. XI, 21 et Matth. XXI, 20; Marc. XIII, 3. 4 et Matth. XXIV, 3; Marc. XIV, 37 et Matth. XXVI, 40; Marc. XVI, 7 et Matth. XXVIII, 7. Semel solummodo Petri nomen Marcus reticuit, ubi Matthaeus expresserat, Marc. VII, 17 et Matth. XV, 15. Quid, quod Marcus ea prorsus praeteriit, quae commemorata in maximum Petri honorem cessissent, quaeque in Matthaeo legerat procul dubio, qualia sunt prodigium quoddam a Petro patratum iubente Christo [6]), Petri ambulatio super lacum Galilaeae [7]), item ut Petrus princeps apostolorum [8]), utque ecclesiae totius caput [9]), ab ipso Christo fuerit constitutus; contra ea vero culpam a Petro admissam fuse Marcus descripsit longeque adcuratius, quam Matthaeus [10]). Qua de re ita Eusebius: Marcus *cum ad illum historiae locum venisset, ubi Iesus interrogavit, quem se esse homines dicerent, ipsique sui discipuli quam de se opinionem haberent, subiunxissetque Petrus: Tamquam de Christo, nihil illi respondentem Iesum aut dicentem describit . . .* NON *enim* INTERFUIT *Marcus iis, quae a Christo dicta sunt, ac ne Petrus quidem, quae ad ipsum ac de ipso dicta sunt ab Iesu,* PROPRIO *testimonio proferre aequum putavit . . . Haec sane Petrus merito tacenda iudicavit,* QUARE *etiam Marcus ea praeteriit. Quae autem ad negationem* SUAM

---

[1]) Marc. I, 1—8. Conf. Matth. XI, 13; Luc. XVI, 16. [2]) Marc. I, 9—11. [3]) Ib. 12. 13. [4]) Ib. 14. 15. [5]) Ib. 16—18. [6]) Matth. XVII, 23—26. [7]) Ib. XIV, 28—31. [8]) Ib. X, 2 coll. Marc. III, 16. [9]) Matth. XVI, 17—19. [10]) Conf. Matth. XXVI, 34. 69—75 et Marc. XIV, 30 66—72.

pertinebant, in omnes homines PROTULIT, *et* PUBLICAVIT, *quoniam post illam flevit amare. Invenies itaque de eo narrantem Marcum et caetera . . . . Marcus quidem haec seribit, ae Petrus haec de se ipso* TESTATUR; *omnia* ENIM, *quae apud Marcum leguntur, narrationum sermonumque Petri dicuntur esse commentaria* [1]). Denique adtendere oportet, ut adiuncta, quibus Marcus Matthaei narrationes supplet, ea plerumque sint, non modo quorum Petrus testis oculatus fuerat, sed quae aut uni Petro, aut huic magis quam aliis, nota esse oportuit. Quis enim melius Petro scire potuit, Christum cum Iacobo et Ioanne apud ipsum diversatum esse [2]), quaenam Christus ibi egerit [3]), ut ipse, quum Christus inde discessit *in desertum locum*, eum sequutus fuerit [4]), quomodo filia Iairi ad vitam revocata [5]), quomodo Christus transfiguratus [6]), quaeque tunc ipse loquutus sit, eaque minus considerate, idque quia *non . . . sciebat quid diceret*, nam ipse et duo socii *erant timore exterriti* [7]), quid cum his ipse conquireret descendens de monte, in quo haec facta fuerant [8]), recordatum se esse, ut Christus ficum arefecerit [9]), Christum ab ipso interrogatum, quando Hierosolyma vastanda foret [10]), quae mandata Christus ipsi dederit de postrema coena adparanda [11]), quae ipsi in horto dormitanti dixerit [12]), quod ibidem Christus ad ipsum sociosque *reversus denuo invenit eos dormientes*, quia *erant . . . . oculi eorum gravati, et ignorabant, quid responderent ei* [13]), totam denique historiam culpae a se admissae [14])? Enimvero, qui sapiunt, atque haec omnia adtente ac diligenter perpendunt, nequeunt non Petrum, nisi scriptorem, at auctorem certe in his narrationibus deprehendere.

QUAESTIO V

Quo consilio ductus fuerit Marcus in scribendo.

64 Superest aliquid dicendum de consilio, quo Marcus ductus est, ut evangelium conscriberet. Discrepant hac de re sententiae. Sunt, qui putent, voluisse Marcum, quae a Matthaeo fusius narrata fuerant, ea in breve cogere; atque ita sensisse videtur Augustinus, a quo Marcus dicitur Matthaei *pedissequus et breviator* [15]). Profecto adparet Marci evangelium dimidio fere brevius esse evangelio Matthaei, sed ea de caussa, quia eorum, quae Matthaeus retulerat, sive res gestae sint, sive sermones habiti, parabolae, vaticinia priorum aetatum cetera, longe amplius quam dimidiam partem Marcus omisit prorsus; ceteroqnin, etsi pauca quaedam breviora fecerit, quam sunt apud Matthaeum, aut vix adtigerit, multa vero integra imo etiam aliquanto pleniore narratione aut fortiore oratione retulerit ita, ut simul paucula aliquot verba compendii faceret, idque quia graecus sermo, quo scribebat, non adeo, ut aramaicus, quo Matthaeus usus est, certis quibusdam circumloquutionibus obnoxius est, longe tamen plura sunt facta atque dicta, quae vel multo plenius, vel ipse primus, refert, vel iis supplet, quae Matthaeus praeterierat, ut ne quid dicam de tot rerum adiunctis, quorum meminit, quaeque plurima supra (62) indicavimus. Potiora quaedam, quae ad caput hoc pertinent, infra subiicimus.

Quae brevius referuntur a Marco, quam a Matthaeo:

MARCUS			MATTHAEUS			MARCUS			MATTHAEUS		
III	„	1. 2	XII	„	9. 10	XIV	„	39	XXVI	„	42
XII	„	28	XXII	„	34. 36	„	„	63. 64	„	„	65. 66
„	„	35. 36	„	„	41. 44	XV	„	17. 18	XXVII	„	28. 29
XIV	„	10. 11	XXVI	„	14–16	„	„	36	„	„	48

[1]) Dem. evang. L. III. § 5. pp. 121. 122. [2]) Marc. I, 29. [3]) Ib. 32. 33. 35. [4]) Ib. 36. [5]) Ib. V, 37–43. [6]) Ib. IX, 1. 2. [7]) Ib. 5. [8]) Ib. 9. [9]) Ib. XI, 21. [10]) Ib. XIII, 3. 4. [11]) Ib. XIV, 13–15 coll. Luc. XXII, 8. [12]) Marc. XIV, 37. [13]) Ib. 40. [14]) Ib. 30. 66–72. [15]) De consensu evangelist. L. I, c. 2, § 4.

Quae vix adtinguatur:

MARCUS			MATTHAEUS			MARCUS			MATTHAEUS		
I	„	12. 13	IV	„	1—11	VIII	„	21	XVI	„	11

Quae integra ex Matthaeo transcripta sunt, ita tamen, ut aliquod verbum compendii fieret:

MARCUS			MATTHAEUS			MARCUS			MATTHAEUS		
I	„	2—4	III	„	1—3	IV	„	1	XIII	„	1
„	„	6	„	„	4	VI	„	3	„	„	55. 56
„	„	7. 8	„	„	11	„	„	7	X	„	1
„	„	10. 11	„	„	16. 17	„	„	11	„	„	14
„	„	14	IV	„	12	„	„	49	XIV	„	26
„	„	18	„	„	20	VIII	„	5	XV	„	34
II	„	14. 15	IX	„	9. 10	„	„	27	XVI	„	13
„	„	24	XII	„	2	„	„	30. 31	„	„	20. 21
III	„	26	„	„	26	IX	„	4	XVII	„	4
„	„	27	„	„	29	„	„	7. 8	„	„	8. 9
„	„	32. 33	„	„	47. 48	„	„	10	„	„	10

Item haec, sed simul narratione aliquantum pleniore, aut fortiore oratiore:

MARCUS			MATTHAEUS			MARCUS			MATTHAEUS		
I	„	19. 20	IV	„	21. 22	X	„	17	XIX	„	16
II	„	23	XII	„	1	„	„	21—23	„	„	21—23
„	„	26	„	„	4	„	„	26	„	„	25
III	„	1	„	„	9						
V	„	14	VIII	„	33	*et cetera*			*et cetera*		

Quae fusius a Marco, quam a Matthaeo, referuntur, praecipue haec sunt:

MARCUS			MATTHAEUS			MARCUS			MATTHAEUS		
I	„	29—34	VIII	„	14—16	VII	„	5—16	XV	„	2—11
II	„	3—12	IX	„	2—8	„	„	18—23	„	„	16—20
III	„	7—12	XII	„	15. 16	IX	„	13—18	XVII	„	14—16
„	„	23—26	„	„	25. 26	„	„	41—47	XVIII	„	6—9
IV	„	1. 2	XIII	„	1—3	XI	„	4—7	XXI	„	6. 7
„	„	3—9	„	„	3—9	„	„	12—14. 20. 21	„	„	18—20
„	„	13—20	„	„	18—23	„	„	22—24	„	„	21. 22
V	„	22—43	IX	„	18—25	„	„	28—30	„	„	23—25
VI	„	17—29	XIV	„	3—12	XII	„	19—23	XXII	„	24—28
„	„	32—44	„	„	13—21	„	„	29—31	„	„	37—40
„	„	53—56	„	„	34—36	XIV	„	66—72	XXVI	„	69—75

Quae Marcus primus aut solus scripsit: Marc. I, 2. 21—28. 35—38; III, 20. 21; IV, 26—29; VI, 30. 31; VII, 32—37; VIII, 22—26; IX, 37—39; XII, 41—44; XIV. 51. 52; XV, 28; XVI, 10. 11. 19. 20. Ea denique, quibus Marcus auxit, ac veluti supplevit, Matthaei narrationes sermonesque atque orationes apud hunc descriptas, haec sunt:

MARCUS			MATTHAEUS			MARCUS			MATTHAEUS		
I	"	15	IV	"	17	IX	"	46—48	XVIII	"	9
"	"	45	VIII	"	4	X	"	15	XIX	"	14
II	"	27	XII	"	8	"	"	24	"	"	23
III	"	13. 14	X	"	1	XI	"	5. 6	XXI	"	6
V	"	8—10	VIII	"	29	"	"	18	"	"	13
"		15. 16. 18—20	"	"	34	XII	"	29	XXII	"	37
VI	"	15. 16	XIV	"	2	"	"	32—34	"	"	40
"	"	52	"	"	33	XIV	"	13	XXVI	"	17
VII	"	2—4	XV	"	1	"	"	15	"	"	18
VIII	"	38	XVI	"	26. 27	XV	"	44. 45	XXVII	"	58
IX	"	9	XVII	"	9	XVI	"	3—5	XXVIII	"	4. 5
"	"	19—25	"	"	17	"	"	16—18	"	"	20
"	"	32—34	XVIII	"	1						

Adde Matthaeum, aeque ac ceteros bibliorum scriptores, nihil minus peccare, quam redundatia, qua operae foret eius librum in breve cogere.

65 Altera sententia est putantium Marcum id consilii cepisse, ut Matthaei evangelium veluti suppleret pluribus additis, quae deerant [1]). Dubitatione vacat id praestitum a Marco, non item tale fuisse praecipuum ipsius consilium. Quid enim? Nonne multo plura sunt ac forte aliqua saltem, etiam potiora, quae a Matthaeo relata praeteriit, quam, quae praeterita, retulit? At enim ideo illa praeteriit, quia omnibus nota, utpote a Matthaeo iam relata. Sed cur igitur non et alia multa omisit, quae aeque leguntur apud Matthaeum, et quibus ipse nihil adiecit? Imo, si id fuisset Marci consilium, nonne potius ipsum Matthaei evangelium transcripsisset iis additis, quae addenda videbantur? Tum, quae Marcus adiecit, facta, dicta, rerum adiuncta, non tanti momenti ea esse videntur, ut necesse foret ad haec futuris aetatibus transmittenda alterum evangelium conscribere.

66 Quidam denique sentiunt id Marco fuisse propositum, ut ordinem temporum a Matthaeo neglectum restitueret [2]). Verum perpauca ea sunt, quae Marcus alio ordine narravit (51). Sed neque ipse temporum ordinem sequutus est, quod Hieronymus iam animadverterat [3]), et longe ante hunc Papias Hierapolitanus [4]), quodque nemo non intelliget, qui Marci evangelium contulerit cum evangelio Lucae, a quo ordo temporum discendus, utpote cui propositum erat *ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum* atque *ex ordine . . . scribere*, sicut ipse profitetur initio libri [5]).

67 Sed frustra est hac in re aliud velle quaerere, quam quod maiores nostri memoriae prodiderunt, quodque plane congruit cum loco et tempore, quo evangelium scriptum fuisse demonstravimus [6]). Itaque, ut ne alia coniiciamus, praestat ea transcribere, quae Papias et Clemens Alexandrinus literis consignarunt, atque ex his accepta Eusebius nobis narravit: *Cum Dei doctrina Romanos adventu suo illustrasset, . . . tantus . . . . veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent coelestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis, accepisse, sed Marcum Petri sectatorem, cuius hodieque exstat evangelium, enixe orarent, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, evangelii exstitissent . . . Petrus . . . librum illum auctoritate sua com-*

---

[1]) *Cellérier* Essai d'une introd. crit. au. N. T. pp. 284—289. [2]) *Cellérier* l. c. [3]) Praef. commentar. ad Matth. [4]) Ap. *Euseb.* H. E. L. III. c, 39. [5]) Luc. I, 1. 3; Lege Lib. III. Diss. I. nn. 18—22. [6]) Quaest. II.

probasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur [1]). In alio loco verba Clementis sic refert Eusebius: ***Marci autem evangelium ex huiusmodi occasione scriptum fuisse. Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset, et Spiritu sancto afflatus evangelium promulgasset, multi, qui aderant, Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum iamdudum sectatus fuisset et dicta eius memoria teneret, ut, quae ab apostolo praedicata erant, conscriberet. Marcus igitur evangelium composuit, iisque, qui illud ab ipso rogabant, impertiit*** [2]).

68 Quod si quaeras, cur Marcus aliud evangelium a se conscriptum Romanis tradere maluerit, quam Matthaei evangelium, non aliam rationem, quae mihi sese probet, reperire possum, nisi illud, quod superius (57) adtigi, non graecum, sed syrochaldaicum Matthaei exemplar Marco in manibus fuisse, quum Romae evangelium suum componebat.

CAPUT III

De evangelio Lucae.

Tempus est iam dicere de Lucae evangelio. De quo easdem illas ipsas quaestiones habebimus, quas de evangelio Marci. Quaeremus, inquam, quinam Lucas, quo tempore, quibus, quo auctore, quo consilio ductus, librum suum exaraverit.

QUAESTIO I

De ipso Luca.

1 Nomen *Lucas* creditur decurtatum esse eo modo, quo alia in sermone Macedonum, quibus dicere mos est *Antipam, Demam, Silam*, pro *Antipatro, Demetrio, Silvano* [3]). Nimirum in quibusdam evangeliorum codicibus vetustissimis [4]), inque illo ipso, qui Vercellis adservatur Eusebii episcopi et martyris manu conscriptus saeculo IV [5]), non *Lucam* legimus, sed *Lucanum*; sunt tamen, qui autument morem hunc scribendi ab inscito librario profectum, qui extraneis nominibus latinam formam induere voluit [6]), cuius rei exempla non desunt [7]). Grotii coniecturae *Lucam* a *Lucilio* deducentis [8]) an cuiquam sese probare valeant, valde dubito. Vetustissima quidem opinio est, quam commemorat atque amplectitur Origenes [9]), nomen *Lucam* idem esse ac *Lucium*; quod non est, cur negemus dummodo alius sit Lucas, alius *Lucius*, cuius meminit Paulus, vix enim crederem unum eumdemque, socium a Paulo vocatum fuisse modo uno modo altero horum nominum.

2 Lucam, qui evangelium composuit itemque Acta apostolorum [10]), Pauli discipulum, socium, atque adiutorem, fuisse, non modo Hieronymus [11]), Chrysostomus [12]), scriptor Constitutionum apostolicarum [13]), Tertullianus [14]), Irenaeus [15]), aliique tradiderunt, sed ex comparatis inter se Actis apostolorum et Pauli epistolis certo intelligimus. Fuisse autem Pauli comitem itinerum, etiam quum is Romam primo venit, idem ipse nos docuit [16]). Quibus positis, *etsi verisimile est*, ut Chrysostomus dixit, *fuisse alios, qui vocarentur hoc nomine* [17]), nemini tamen dubium est hunc illum esse, cuius Paulus meminit in epistolis, quas tunc ex Urbe misit ad Colossenses [18]) et ad Philemonem [19]). Sed et in illa, quam ad Timotheum scripsit, quum iterum Romae esset in custodia [20]), non multo ante obitum [21]), ita ait: *Lucas et mecum solus* [22]). Lucas igitur mansit cum Paulo usque ad postremos huius dies [23]). Paulo autem sese adiunxisse non videtur, nisi post concilium hierosolymitanum [24]), quod procul dubio ante postremos menses anni aer. vulg. XLVII habitum est. Non tamen multo post, nam Troade solvit una cum Paulo tum, quando is primum iter adripuit in Macedoniam [25]),

---

[1]) H. E. L. II. c. 15. [2]) Ib. L. VI. c. 14. Lege et *Clementis* Adumbration. in I Petr. [3]) Diss. IX. c. III. n. 8. [4]) Ap. *Blanchin.* Vindic. canonic. p. 398; *Id.* Evangeliar. quadrupl. T. II. pp. 2. 308. 524; *Mabillon* Iter italic. p. 109; *Calmet.* Praef. in Luc. not. 1. [5]) Ap. *Irico.* Sacrosanct. evangelior. cod. s. Euseb. p. 631; *Blanchin.* Evangeliar. quadrupl. T. II. pp. 2. 308. [6]) *Irico.* ib. Praef. p. XXXIII; *Hug* Einleitung in die Schrift. des N. T. II Th. § 34. [7]) *Hug.* ib. [8]) In Luc. init. [9]) In Rom. XVI. 21. [10]) Conf. Loc. I, 3 et Act. I, 1. [11]) Prol. in Matth.; In Io. LXV, 24. [12]) In Matth. hom. I § 1; In Acta hom. I. § 1. [13]) L. II. c. 57. [14]) Adv. Marc. L. IV. cc. 2. 5. [15]) Haer. L. III. c. 14. § 1. [16]) Act. XVI, 10—17; XX, 5—XXVIII, 16. [17]) In Coloss. IV, 14 hom. XII. § 1. [18]) Coloss. IV, 14. [19]) Philem. 24. [20]) II Tim. I, 8. 12. 16. 17. [21]) Ib. IV, 6—8; *Hieron.* De vir. illustr. c. 5. [22]) II Tim. IV, 11. [23]) *Irenaeus.* Haer. L. III. c. 14. § 1. [24]) Conf. Act. XIII, 2. 5; XV, 1—30. 33. 34. 40. 41; XVI, 1—9. 10. [25]) Ib. XVI, 10.

qood non serins accidit, qoam primis mensibus anni XLVIII (29). Hsnc temporum rationem facile intelliges, si seriem rerum gestarum inter conciliom babitom et inter Paulum Hierosolymae comprebeusum compares cum iis, qoae de anno, quo comprehensus est, inferius (13) disseremus.

3 Locam patria Antiocbeuum dixere Eusebius [1]) et Hieronymos [2]). Profecto alibi quum in Iudaea ortom ipse sese prodit in Actis apostolorum, ubi oratioui a Petro habitae inserta haec ab ipso legoutur: *Et hie quidem Iudas possedit agrum de mercede iniquitatis* et cetera, *ita ut adpellaretur ager ille* LINGUA EORUM *Haceldama, hoc est, ager sanguinis* [3]); quae verha dubitare non est Lucae esse, non Petri, neque euim Petrus sermonem iudaicum, qni et suus ipsius erat, hoc modo nominasset, neque rem omnibus, qoi praesentes aderaut, plane notam his verbis retulisset, multoque minos ita, si longo ante tempore fuisset gesta. Imo neque maioribus genere Israelitis prognatos creditur Lucas. Etenim Paulus scribens ad Colosseuses ita loqoebator; *Salutat vos Aristarchus, . . . et Marcus, . . . et Iesus, . . . qui sunt ex circumcisione; hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est . . . Salutat vos Lucas medicus charissimus* [4]); ex qoibus iure colligas, sicut collegisse videntur Cbrysostomus [5]) et Hieronymns [6]), Lucam non fuisse *ex circumcisione*. Id comprobant etiam illa verba: *Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.* Nam tota sententia ulia non est, sed neqoe esse potest, quin aliquid praeferat Epaphrae et Lucae minus bonorificum, nisi haec: Ex illis, *qui sunt ex circumcisione, hi soli sunt adiutores mei, qui mihi fuerunt solatio*; haec, inquam, nihil habent difficultatis, siquidem Locas non fuerit *ex circumcisione*, sin secus, dicendus foret Paulus huuc, quem tamen *charissimum* adpellat, demere de numero snorum adiutorum deque eorom, quos sibi solatio fuisse adfirmat.

4 Attamen uotitia illa rerom iudaicarum, qnam Locas proe se fert in suis scriptis, satis foret, cur iis aduumeraretnr, qnos Iudaei *Proselytos* vocabant; atqoe ita veteros, plerosque saltem, sensisse Hieronymus testis est [7]).

5 Quibus positis compertum fit Lucam in nomero septoagiuta duorum Christi discipolorum non habeudum. Id quidem aiebsnt Adamantius [8]), forte Dorotheus Tyri episcopus [9]), Epiphanius [10]), ot auctor Ὑπομνήματος in Lucam, qui esse creditur Simeon Metaphrastes [11]), expresse tamen negant Beda [12]), Theodoretos [13]), Augustiuus [14]), et scriptor vetustissimus, cuius operum ἀποσπασμάτιον Muratorios edidit, quemque Caium presbyterum esse potavit [15]); quibuscum Hieronymus [16]), Eusebios [17]), Tertullianus [18]), et Irenaeus [19]) consentiont. Sed hac in re aliorum testimonio securi carere possumus, quando ipse Lucas profitetur se ea narrare, non qoae viderit ipse, sed quae de Christo acceperat ab huios discipnlis [20]).

6 Illud qooqoe constat, Lucam medicinam exercuisse. Nou enim soli auctor Synopseos Athanasio tribotae [21]), Hierouymus [22]), atque Eusebius [23]), id aiont, sed legimns apnd scriptorem quoque illom vetustissimom, qui Caius presbyter esse creditur (5), et *tradunt veteres ecclesiae tractatores*, inqoit Hieronymns [24]), qnodque capot est, Paulus ipse nos docuit scribeus ad Colossenses illa: *Salutat vos Lucas medicus charissimus* [25]). Sunt imo, qui sibi videntur huius artis indicia deprehendisse in ipsis Lucae voluminibos. Huiusmodi illud est, quod onos Locas subinde notet in noiversum ac veluti miretur, divinam illam vim, qua Christus huiusque discipuli morbos prodigialiter depellebant [26]); coi argumento maius, quam prima specie videtur, momentum inesse senties, si animadvertas, ut Lucas praeterierit plerasque hoiusmodi veluti adnotatiunculas, quas Matthaens et Marcus iis, qoae narrabant, adscripsere (74). Item illod, quod, ubi Mutthaeus aut Marcus prodigia haec referentes vulgatioribus verbis otnntur, Lucas propria magis atqoe adeo aptiorem aliquam periphrasim nsorpat, veloti qoum ἀσθενοῦντας [27]) dicit, qoos Mattbaeos [28]) et Marcos [29]) κακῶς ἔχοντας, qoum ὑγιαίνοντας [30]), qoos ἰσχύοντας [31]), quom χρείαν ἔχοντας θεραπείας [32]), quos Matthaeus ἀῤῥώστους [33]); sic etiam pro

[1]) H. E. L. III. c. 4. [2]) De vir. illustr. c. 7; Prolog. in Matth. [3]) Act. I, 18. 19. [4]) Coloss. IV, 10—14. [5]) In h. l. [6]) Quaest. io Gen. XLVI, 26. [7]) L. c. [8]) De recta in Deum fide contra Marcion. L. I. ioter opp. *Origen.* T. III. p. 806 ed. *Delarue.* [9]) Lege cap. II. n. 2. [10]) Haeres. LI. § 11. [11]) In Auctario noviss. *Cambefis.* P. I. 514. [12]) Prooem. in Luc. [13]) Praef. Hist. relig. opp. T. III. pp. 763. 764. Lutet. 1642. [14]) De consensu evangelist. L. I. §§ 2. 3; Coot. Faustum L. XVII. c. 3. [15]) Antiqq. ital. T. III. col. 854. [16]) De vir. ill. c. 7; In Is. LXV, 24. [17]) H. E. L. III. c. 4. [18]) Adv. Marcion. L. IV, c. 2. [19]) Haeres. L. I. c. 23 al. 20. [20]) Luc. I, 1—3. Lege *Euseb.* L. c. et Dem. evang. p. 120; *Hieron.* L. c. et Prolog. in Matth.; *Augustin.* L. c.; *Theodoret.* L. c. [21]) Opp. *Athan.* T. II. p. 202 ed. *Maurin.* [22]) De vir. illust. c. 7; Ad Damas. ep. XX al. CXLV. § 4; Ad Paulin. ep. LIII al. CIII. § 8. [23]) L. c. [24]) In Is. VI, 10. [25]) Coloss. IV, 14. [26]) Luc. V, 17; VI, 18. 19. [27]) Ib. 40. [28]) Matth. VIII, 16. [29]) Marc. I, 34. [30]) Luc. V, 31. [31]) Matth. IX, 12; Marc. II, 17. [32]) Luc. IX, 11. [33]) Matth. XIV, 14.

illis Matthaei verbis: *ἰαθη ὁ παις* [1]), Lucas scripsit: *εὑρον τον ἀσθενουντα δουλον ὑγιαινοντα* [2]), sic pro illis Marci: *κατεκειτο πυρεσσουσα* [3]), Lucas haec usurpavit: *ἠν συνεχομενη πυρετῳ μεγαλῳ* [4]). Ad haec illud *πυρετῳ μεγαλῳ*, quod legitur in evangelio [5]), illudque *ἀχλυς*, quod in Actis apostolorum [6]), esse in medicina *ὀνοματα τεχνικα* testimonio Galeni Wetstenius [7]) adfirmavit. Adde denique, quod nomina *ἰασις* et *ἰατρος* verbaque *ἰαομαι* et *ὑγιαινω* vel unus Lucas usurpavit, vel longe plurics quam ceteri.

7 Nonnullorum opinio est, quam Origini [8]) quoque adfingunt, Lucam et Paulum fuisse consanguinitate coniunctos; sic enim alter scripsit Romanis: ***Salutat vos Timotheus adiutor meus, et* LUCIUS, *et Iason, et Sosipater, cognati mei*** [9]), Lucius autem non alius, inquiunt, quam Lucas. Sed opinio haec illos fefellit. Quod enim ad Originem adtinet, is quidem ita loquitur: ***Lucium*** QUIDAM PERHIBENT ***esse Lucam***, mox tamen aperit sententiam suam de illa cognatione sic pergens: ***Certum est eum***, Paulum videlicet, ***aliam quamdam cognationem nominare, quae isti Sosipatro cum Timotheo et Luca aliisque paucis horum similibus communis habeatur, quam cognationem vel consanguinitatem arbitror esse ex baptismo contractam.*** Quum tamen ratio haec ab Origene excogitata, cur Paulus illos cognatos suos diceret, non eos magis adtingeret, quam ceteros, quotquot baptismo abluti in Christianis censebantur, verius crederem Lucium, Iasonem, Sosipatrum, sicut etiam in hoc ipso epistolae capite Andronicum, et Iuniam [10]), et Herodionem [11]) *συγγενεῖς* ***cognatos*** dici a Paulo non alia ratione, nisi qua de Israelitis popularibus suis superius haec dixerat: ***Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis,*** *των συγγενων μου*, QUI SUNT COGNATI MEI ***secundum carnem, qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum etc.*** [12]). Tum illud ***cognati mei*** forte dictum est de Iasone deque Sosipatro solummodo, non vero de Lucio. Ecquid autem, obsecro, nos cogit credere Lucium alium non esse quam Lucam? Grotius [13]) autumat illum esse Lucium Cyrenensem, cuius Lucas ipse meminit in Actis apostolorum [14]); cui opinioni favet *ὁμωνυμια*. Forte fuit Lucius ille, quem a Paulo Cenchrearum episcopum iussum fuisse narrat scriptor Constitutionum apostolicarum [15]), qui Lucium a Luca distinguit tum in hoc, tum in alio loco, ubi haec leguntur: ***Commendatos vobis esse volumus Titum, Lucam, Iasonem, Lucium, et Sosipatrum*** [16]); haec autem opinio eo veri similior fit, quia Paulus epistolam ad Romanos scripsit, quum esset in Achaia [17]), in qua Cenchreae positae erant.

8 Sed, quod caput est, quum Paulus eam epistolam scribebat, Lucas cum ipso non erat. Scripsit enim, quum in eo esset, ut ex Achaia iret Hierosolymam [18]) illo anno, quo in hac urbe comprehensus est et in custodiam Caesareae truditus [19]), quod luculenter demonstravit Guilielmus Paley [20]); Lucam vero tunc temporis ab eo abfuisse non uno argumento efficitur. Is enim, ubi narrare incipit iter, quod primo Paulus fecit in Macedoniam, primam verborum pluralium personam usurpat [21]), eamque constanter usurpare pergit usque ad adventum Philippos [22]). Mox discessum Pauli ex hac urbe describens ceteraque, usque dum is illuc reversus est post illam mansionem in Achaia, de qua diximus, tertiam verborum personam adhibet [23]); rursus primum pluralem, referens alterum discessum Philippis et cetera usque ad adventum Romam [24]), finemque libri. Haec autem ratio deprompta ex grammatica robur longe maximum inde concipit, quod, ubi Lucas primam verborum personam usurpat, narratio plenior atque uberior adparet, pluribusque rerum adiunctis ornata, quae res testem oculatum omnino prodit; at non ita, ubi tertiam. Non ergo Lucas erat in Achaia una cum Paulo, quum missa inde est huius epistola ad Romanos. Id vero prorsus evincit enumeratio eorum, qui tunc Paulum ex Achaia proficiscentem comitati sunt in Macedoniam, et quorum nomina in Actis recensentur, nec tamen Lucas inter eos comparet [25]), qui utique comparet rursus, ubi illi Philippis in Asiam profecti dicuntur ante Paulum atque ipsum Lucam [26]).

QUAESTIO II

Quando scripserit Lucas.

9 Lucam evangelium suum scripsisse post Matthaeum et Marcum, nisi omnium superiorum aetatum auctoritates nihil pensi habemus, dubitare non est, quum unus Clemens Alexandrinus senserit

---

[1]) Matth. VIII, 13. [2]) Luc. VII, 10. [3]) Marc. I, 30. [4]) Luc. IV, 38. [5]) Ib. [6]) Act. XIII, 11 [7]) In hh. ll. [8]) In Rom. XVI, 21. [9]) Ib. [10]) Ib. 7. [11]) Ib. 11. [12]) Ib. IX, 3. 4. [13]) Prolog. in Luc. [14]) Act. XIII, 1. [15]) Constit. L. VII. c. 46. [16]) Ib. L. VI. c. 18. [17]) *Paley* La vérité de l'hist. de s. Paul ch. 2. [18]) Rom. XV, 25. 26 coll. Act. XX, 2. 3 et XIX, 21 et XXIV, 17. [19]) Act. XX, 6—XXIII, 35. [20]) L. c. [21]) Act. XVI, 9. 10. [22]) Ib. 17. [23]) Ib. 40—XX, 4. [24]) Ib. XX, 5—XXVIII, 16. [25]) Act. XX, 4. [26]) Ib. 5. 6.

Marcum post Lucam scripsisse[1]), cur vero sic senserit, ignotum est. Praeter illas auctoritates, habes argumenta, quae alia in aliis locis[2]) protulimus, et quibus id fit manifestum. Nunc tamen, ut id ipsum plenius comprobemus, postulat ipsa materies quaestionis, ad quam adgredimur.

10 In superiore quaestione perspeximus inter Matthaei et Marci evangelium eam interesse similitudinem, ut alter alterius opus plane perspectum habuisse dicendus sit. Non autem ea minorem cum illis duobus praefert evangelium Lucae, quod inferius[3]) ostendemus. Quumque similitudo haec talis sit, ut unumquodque trium evangeliorum plurima habeat plane similia partim iis, quae in uno, partim, quae in altero e duobus reliquis leguntur, necessario concludimus, ab eo, qui postremus scripsit, priorum duorum libros fuisse perlectos. Quo semel posito facile quisque intelliget Lucam eum esse, qui postremus scripsit, id est, post Matthaeum et Marcum, quum nemo non videat ea, quae in Lucae evangelio similia sunt illis, quae leguntur in evangelio Matthaei aut Marci, Lucam de horum libris transcripsisse, non hos de illius.

11 Id enim egisse ille dicendus est, qui in iisdem sive rebus sive sermonibus referendis ordinem temporum sequitur accuratius, quam ceteri duo, qui ea, quae in horum alterutro leguntur, iis veluti coagmentat, quae leguntur apud alterum dumtaxat, utraque in unum colligens atque unum ex utrisque efficiens, qui, quum eadem refert, ac ceteri, haec simul explicat magis, atque declarat, qui haec eadem exornat quibusdam rerum, personarum, locorum, ac temporum adiunctis, etiam minutioribus, qui denique saepius ceterorum dictionem expolit, cultioreque utitur genere dicendi. Atqui haec omnia Lucas praestitit, quod in alio capite huius quaestionis[4]) compertum fiet. Mitto illud, quod Lucas ipse nos docet, tunc, quum scriberet evangelium, prodiisse iam evangelium aliquod, unum aut etiam alterum[5]), quodque profitetur se id consilii cepisse, ut ea, quae in illo narrata sunt, ordinaret[6]). His adde ea, quae de Matthaeo deque Marco dicta a nobis sunt (9), ut demonstraremus utrumque scripsisse ante Lucam, iamque nihil suppetet, cur hac de re dubites.

12 Nunc annus quaerendus, quo Lucae evangelium editum est. Dubitatione vacat evangelium compositum esse a Luca prius, quam Acta apostolorum, quum ipse id dicat[7]). Liber Actuum, quod ex postremis huius versibus colligimus[8]), absolutus fuit paullo post alterum e duobus annis, quibus Paulus primo in Urbe est moratus[9]). Iam vero alterum hunc annum desiisse in exeuntem mensem ianuarium an. LVIII aut non multo serius, perspicua tametsi longinscula ratiocinatione conficitur.

13 Paulus comprehensus est Hierosolymae anno aer. vulg. LIII circa diem festum pentecostes, qui dies fuit IV id. mai. aut postridie. De anni die Lucas nos docet[10]); annum vero comperimus simul comparatis Lucae et Iosephi historiis. Haud multis post diebus, ex quo Paulus captus fuerat, Felix Iudaeae procurator[11]) *cum Drusilla uxore sua, quae erat Iudaea, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quae est in Christum Iesum*[12]). Drusilla nupserat Felici post expletum annum duodecimum principatus Claudii; id Iosephus memoriae prodidit his verbis: *Claudius deinde misit Felicem Pallantis fratrem ut rebus in Iudaea praeesset, atque imperii sui anno duodecimo completo Agrippam donavit Philippi tetrarchia et Batanaea una cum Abila; . . . Chalcidem vero ei abstulit, quum dynastiam hanc tenuisset quadriennio*[13]). *Agrippa autem istis muneribus a Caesare auctus Azizo Emesorum regi, cum circumcidi annuisset, Drusillam sororem in matrimonium collocavit. . . . Non multo autem post, connubium Drusillae Azizique dissolutum est huiusmodi de causa. Felix . . . Simonem, genere Cyprium, qui se magum esse simulabat, ad eam mittens suadere nitebatur, ut relicto marito ei nuberet. . . . Atque illa, . . . ut contra patria instituta ageret et Felici nuberet, se persuaderi sinit*[14]). Annus duodecimus principatus Claudii desiit in a. d. IX kal. febr. anni LIII, Iudaeis vero in autumnum superioris anni LII. Dies igitur festus pentecostes, circa quem Paulus in vincula coniectus fuit Hierosolymae, et post quem, aliquot diebus interiectis, colloquutus est cum Felice huiusque uxore Drusilla, esse non potuit ante annum LIII. Sed neque post annum hunc. Eo enim tempore, quo haec gesta fuere, maximum pontificatum gerebat Ananias[15]), qui hoc munus acceperat non serius anno octavo imperii Claudii[16]). Huic successit Ionathas[17]), post quem ab Agrippa minore pontifex maximus iussus est Ismael Phabi filius[18]), quum Claudius adhuc viveret[19]).

[1]) Ap. *Euseb.* H. E. L. VI, c. 14. [2]) Cap. I. n. 19; Cap. II, n. 13. [3]) Quaest. III. [4]) Quaest. III. [5]) Lib III. Diss. I. nn. 3. 10. 11. [6]) Ib. nn. 9. 22. [7]) Conf. Act. 1, 1 et Luc. 1, 3. [8]) Act. XXVIII, 30. 31. [9]) Cap. II. n. 9. Conf. *Hieron.* De vir. ill. c. 7. [10]) Act. XX, 16 coll. 6—15 et 17 — XXI, 27. [11]) Ib. XXIII, 24. [12]) Ib. XXIV, 24. coll. 11. [13]) Conf. Ant. L. XX. c. 5, § 2. [14]) Ib. c. 7. nn. 1. 2. [15]) Act. XXIII, 2 et XXIV, 1. coll. XXI, 27 — XXII, 30. [16]) *Ioseph.* ib. c. 5. § 2. [17]) *Id.* ib. c. 8. §. 5; Bell. II. c. 13. § 3. [18]) *Id.* Antiq. ib. § 8. [19]) *Id.* ib. L. III. c. 15. § 3.

Claudio imperatore et Ismaele pontifice maximo sollemne paschatis celebratum fuit [1]), profecto non serius anno LIV, quo Claudius vita defunctus est III id. octobr. Constat igitur sollemne pentecostes, circa quod Paulus fuit comprehensus, illud esse, quod anno LIII celebratum est.

14 At Iosephus, inquies, pugnare secum videtur, quum in uno loco Ismaelem pontificatum gessisse ait Claudio imperatore, in alio pontificem creatum *sub idem tempus*, quo seditiones Caesareae ortae sunt, regnante igitur Nerone; nam *vigente . . . seditione*, ait ille Felix, *nobiliores ex utraque parte delectos ad Neronem legatos misit de iure suo disceptaturos* [2]). Quin imo Ionatham pontificem necatum eique suffectum Ismaelem narrat, postquam ea retulit, quae Nero gesserat primo imperii anno [3]). Verum nulla in his ἀντιλογία. Primum attendas, velim, inter III id. octobr. an. LIV, quo die Nero Claudio successit in imperium, et inter aestatem anni insequentis, qua inita Felix e Iudaea discessit (25), locum esse non potuisse illis omnibus rebus gerendis, quas Iosephus a Felice gestas refert, postquam de anno primo principatus Neronis loquutus fuerat. Animadverte insuper, Iosephum in unam narrationis seriem collegisse ea omnia, quae egit Felix, dum Iudaeam procuravit; id manifesto apparet in libro praesertim de Bello Iudaico [4]). Proinde dicendus est, post illa commemorata, quae Nero primo quoque imperii sui tempore egerat, historiam interruptam repetere, ut ea simul omnia exponeret, quaecumque gesta fuerunt a Felice procuratore, quem Iudaeae praepositum prius dixerat, nec tamen illorum quidquam indicaverat. Quod vero historiam eo modo interruperit, nil fecit, nisi quod plerique historici solent; neque, cur faceret, caussa deerat, siquidem, quum enumerasset regiones, quas Claudius Felici procurandas, quasque Agrippae regnandas concesserat [5]), non abs re erat, antequam res gestas novi procuratoris describeret, lectores commonefacere, ut Nero partem illarum regionum Felicis procurationi ademptam Agrippae regno adiecerit. Liquet igitur, ex historia Iosephi non effici, turbas Caesareae commotas esse quum Nero iam imperaret, sed solum eas perdurasse usque ad imperium Neronis, atque *sub idem tempus*, non quo hae sedatae, sed quo commotae sunt, Ismaelem ab Agrippa ad pontificatum fuisse evectum. Ut autem nihil obstat, quominus hoc modo intelligamus historiam hanc, ita eam sic intelligi oportere illud ipsum evincit, quod difficultatem habere videbatur, videlicet quod Iosephus nos docuerit Ismaelem pontificatum obtinuisse ac sollemnia paschatis egisse ante obitum Claudii.

15 Pergamus porro. *Biennio autem expleto*, inquit Lucas, scilicet ex quo Paulus in custodiam fuerat traditus, post diem festum pentecostes anni LV, *accepit successorem Felix Portium Festum* [6]). *Volens autem gratiam praestare Iudaeis Felix, reliquit Paulum vinctum* [7]). Post duodecim aut quatuordecim dies [8]), quum Paulus coram Festo procuratore Caesarem appellasset [9]), statuit Festus eum Romam mittere. *Ut autem iudicatum est navigare* [10]), Paulus et socii Caesarea profecti adversaque usi tempestate [11]), Cretae appulerunt, *in locum quemdam, qui vocatur Boniportus* [12]). Hic *multo . . . tempore peracto, et cum iam non esset tuta navigatio, eo quod et ieiunium iam praeteriisset, . . . et cum aptus portus non esset ad hiemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quo modo possent, devenientes Phoenicem, hiemare, portum Cretae* [13]). Ieiunium, cuius meminit Lucas, illud unicum est quod Moyses praecepit observandum die decima mensis septimi, qui tisri nomen habebat [14]), a vespera diei nonae ad vesperam insequentis [15]), qui dies anno LV fuit circa diem XII kal. octobr. Neque suspicari est de alio ieiunio Lucam esse loquutum, quum non aliud, quam quod diximus, simpliciter et κατ' ἐξοχὴν illa aetate *ἡ νηστεία ieiunium* vocaretur, sic enim comperimus et iam ex libris Philonis de vita Moysis [16]), et de Decalogo [17]), et Iosephi de Antiquitatibus [18]), nec ieiunium ullum praeter id foret sub illam anni tempestatem, qua hiemandum erat [19]). Ergo, quum ex insula Creta solvissent, non citius procul dubio, quam post XII kal. octbr., quatuordecim ut minimum dierum itinere [20]), fractaque navi, in insulam Melitam evaserunt [21]), non ante nonas octobr. *Post menses autem tres*, id est, post nonas ianuar. an. LVI, inde navigaverunt *in navi alexandrina, quae in insula hiemaverat* [22]), nec Romam nisi post decem et septem dies, postque diem XI kal. februar., tandem pervenerunt [23]). Quare, quum Paulus manserit in Urbe *biennio toto* [24]), consequens est, non inde eum discessisse, nisi post XI kal. februar. an. LVIII (12).

1) Ib. 2) Bell. L. II. c. 13. § 7. 3) Antiq. L. XX. c. 8. §§ 1. 4. 5. 8; Bell. ib. §§ 1. 3. 4) Bell. L. II. c. 13. § 2 coll. c. 12. § 8. 5) Antiq. L. XX. c. 7. § 1; Bell. ib. c. 12. § 8. 6) Conf. *Ioseph.* Antiq. Ib. c. 8. § 7; Bell. ib. c. 14. § 1. 7) Act. XXIV. 27. 8) Ib XXV, 1. 6. 9) Ib. 11. 10) Ib. XXVII, 1. 11) Ib. 4. 7. 12) Ib 8. 13) Ib. 9. 12. 14) Levit. XVI, 29. 31; XXIII, 27. 29; *Ioseph.* Antiq. L. III. c. 10. § 3. 15) Levit. XXIII, 32; *Ioseph.* ib. 16) L. II. p 657 C. Francofurti 1691. 17) De Decal. p. 766 c. 18) Antiq. L. XVIII. c. 4. § 3. 19) Conf. *Ioseph.* l. c. § 4. 20) Act. ib. 27—33. 21) Ib. XXVIII, 1. 22) Ib. 11. 23) Ib. 12—16. 24) Ib. 30.

16 Non desunt tamen, qui autument biennio illo, cuius in Actis apostolorum mentio est, ubi narratur discessus Felicis ex Iudaea [1], haudquaquam designari tempus, ex quo Paulus fuerat comprehensus, sed ex quo Felix praeerat Iudaeae, quod verius visum est Petavio [2], vel ex quo Nero imperium acceperat, quod Baronio [3] magis placuit. Cur ita sentirent viri summi, illud in caussa fuit, quod Baronius annum secundum imperii Neronis, quo Paulus Romam ductus est, perperam composuerit cum anno aer. vulg. LVIII, Petavius vero concilium Hierosolymae habitum ab apostolis putaverit biennio serius, ac re vera fuerit, id est, non anno XLVII, sed XLIX, propterea, quum minore, quam sex annorum spatio fieri non potuerint ea omnia, quae inter concilium interque Paulum comprehensum facta leguntur, concluserit Paulum comprehendi non potuisse ante annum LV, quo Felix ex Iudaea regressus est.

17 Ceterum, ubi Lucas huius biennii mentionem iniecit, nullum Neroni locum esse posse, nemo non pervidet, tum quia illuc usque nihil de Nerone a Luca dictum fuerat, tum etiam quia, quum biennium expletum est, nondum annus erat, contra ac Baronio visum est, ex quo Nero Claudio successerat, sicut discimus ex iis, quae paullo infra disputabimus de tempore, quo Felix procurationem Iudaeae gessit (25).

18 Sed neque biennium esse potest, quod Felix egerit in sua procuratione fungendo. Id certo colligimus ex ipsa Lucae narratione. Quum Paulus primo caussam dixit coram Felice [4], quinto die, ex quo captus fuerat [5], sic eum alloquutus est: *Ex* MULTIS ANNIS *te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam* [6]. Inter hanc primam actionem interque biennium expletum longius aliquod tempus fuisse interpositum ipsa factorum series ostendit. Etenim Lucas sic pergit: DISTULIT *autem illos Felix, . . . iussitque centurioni custodire eum et habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.* POST ALIQUOT *autem dies veniens Felix . . . vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quae est in Christum Iesum* [7]), moxque dimisit, et *Quod nunc attinet*, inquit, *vade*; TEMPORE *autem* OPPORTUNO *accersam te, simul et sperans, quod pecunia ei daretur a Paulo. Propter quod* ET FREQUENTER *accersens eum loquebatur cum eo. Biennio autem expleto accepit successorem Felix Portium Festum* [8]. Vides, ut inter diem, quo Paulus primo stetit coram praeside, interque diem, quo Felix discessit, longius aliquod tempus intercesserit. Si ergo discessit is, quum biennium, haud amplius, procurationis impleverat, qui poterat Paulus tunc, quum primo caussam dixit coram Felice, hunc eo modo alloqui?

19 Quid respondeat, Petavius sibi videtur habere in ipsa discrepantia, quam praeferunt inter se Iosephi et Taciti narrationes. Etenim ille Felicem in locum Cumani ad Iudaeam procurandam a Claudio subrogatum dicit [9], alter vero haec scripsit: *Interim Felix intempestivis remediis delicta accendebat, aemulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciae habebatur, ita divisis, ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent. . . . Arsissetque bello provincia, ni Quadratus Syriae rector subvenisset; . . . damnatusque flagitiorum, quae duo deliquerant, Cumanus, et quies provinciae reddita* [10], quam Felix procurare perrexit, ita ut anno aer. vulg. LII dici posset *Iudaeae* IAM PRIDEM *impositus* [11]. Itaque de his Petavius, *Nobis*, inquit, *ita conciliari dissidium hoc posse videtur. Anno circiter octavo Claudii Cumanus Galilaeae et Iudaeae procurator fuit, cum Samariae Felix praeesset, ut ait Tacitus. Duodecimo deinde Claudii anno, damnatus Romae Cumanus, Felix vero, . . . non solum areptus periculo, sed, ampliori quoque ditione donatus a Caesare, Iudaeae insuper procurator est factus, quam biennio circiter obtinuit, nimirum ab anno ineunte XIII Claudii usque ad primum Neronis, quo eodem labente Festus ei successit* [12]. Quare Paulus, *multos annos* memorans procurationis Felicis, loquutus esse putandus esset de toto illo tempore, quo primum Samariae, tum Iudaeae universae, praefuerat usque ad illum diem.

20 Verum nimis multa et gravia sunt, quae nos a Petavio dissentire compellunt. Mitto illud, quod incommoda sane ratio narrandi foret, in uno codemque historiae capite tempus procurationis Felicis primum *multis annis* mox *biennio* definire, lectoribus nec opinantibus de alia atque alia procuratione mentionem haberi. Neque illud urgebo, quod Paulus numquam, multoque minus tum, quum Iudaeis accusantibus caussam dicebat, pronuntiaturus fuisset, Felicem *esse iudicem* GENTI HUIC, una eademque *gentis huius* appellatione Iudaeos una et Samaritas complexus. At minime illud praeteribo, alia esse in Iosephi Tacitique narrationibus, quae nullo pacto cohaerere possunt inter se.

[1]) Ib. XXIV, 27. [2]) Doctr. tempor. L. XI. cc. 11. 12. [3]) Annal. eccl. an. LVIII n. 158. [4]) Act. XXIV, 10–21. [5]) Ib. 1. [6]) Ib. 10. [7]) Ib. 22–24. [8]) Ib. 25–27. [9]) Ant. L. XX. c. 6 § 3 et c. 7. § 1; Bell. L. II. c. 12. § 7. 8. [10]) Annal. L. XII. § 54. [11]) Ib. [12]) L. c. c. 11.

Tacitus ait, Galilaeos Cumano, Samaritas Felici subditos, *discordes olim, et tum, contemptu regentium, minus coercitis odiis; igitur raptare inter se, . . . spoliaque et praedas* AD PROCURATORES *referre*; quae quidem Galilaeos Cumano, Samaritas Felici, non subditos modo, sed nec parum devinctos devotosque produnt. Contra ea Iosephus, nulla Felicis iniecta mentione, rem sic narrat, ut credere necesse sit Cumanum Iudaeis infensum, Samaritis benignum [1]), hosque non minus atque illos eius procurationi concreditos [2]). Iam vero utri potius de Iudaeorum rebus scribenti fides habenda, Tacito Interamnensi, quum praeterita atque extera refert, an Iosepho Hierosolymitae, συγχρόνῳ atque αὐτόπτῃ eorum, quae literis consignabat, patriarumque rerum scientissimo? Ad haec Iosephus ait Cumanum ab Ummidio Quadrato Syriae legato propraetore Romam proficisci iussum paullo ante diem festum azymorum [3]), annus vero omnium serissimus, quo id factum credi potest, ut discimus ex Tacito, fuit annus aer. vulg. LII. Quis autem vel suspicetur Iudaeam iis turbis agitatam, quas uterque historicus descripsit, uno ferme anno sine praeside relictam, nec Felicem ad eam procurandam missum, nisi *anno ineunte XIII Claudii*, hoc est, post IX kal. februar. an. LIII? Iam vero, etsi daremus Cumanum Romam non citius profectum, quam anno LII paullo ante dies festos azymorum, Felix vero duobus aut tribus solum post mensibus in eius locum subrogatum, quum is, etiam secundum temporum rationes a Petavio subductas, a procuratione Iudaeae amotus non fuerit, nisi anno LV, idque, quod ex ipsa Lucae historia necessario consequitur, longiore aliquo saltem tempore post diem festum pentecostes, non biennium, sed triennium in illa procuratione explevisset Felix. Denique, si biennium istud fuit, quo Felix Iudaeae praefuerat, nec tamen expletum est, nisi tempore haud modico post diem festum pentecostes an. LV, consequens foret inceptum non fuisse, nisi aequali temporis spatio post diem festum pentecostes anni LIII; quo posito duo haec inferimus. Primum est, quod longe serius, quam *anno* INEUNTE *XIII Claudii*, Felix eam provinciam suscepisset, secus, ac Petavius putavit. Alterum, quod, quum anno LV pentecoste inciderit in diem XII aut XI kal. iun., siquidem, ut oportet, post duos tresve menses expletus dicatur Felicis alter annus procurationis, puta, mense iulio exeunte, annus primus incepisset exeunte mense iulio anni LIII; quumque anno LII sollemne azymorum, ante quod Quadratus Cumanum Romam misit, actum fuerit III non. april. aut postridie, Iudaea, non tantum uno ferme anno, sed non minus quam mensibus sexdecim procuratore caruisset.

21 Ceterum, quum demonstraverimus (13) Paulum comprehensum fuisse anno LIII ipso die festo pentecostes aut perpaucis omnino post diebus, medio, inquam, mense maio, hoc enim anno pentecoste incidit in IV aut III id. mai., quumque constet Felicem e Iudaea discessisse anno LV (25), iam caussa nulla superest, cur dubites, an illo biennio definiatur a Luca tempus, ex quo Paulus captus fuerat, quum aeque constet eum ad Urbem non profectum, nisi post duos annos atque aliquot insuper menses, aliquammultis diebus videlicet ante aequinoctium autumnum an. LV. Quae quidem superius (15) iam demonstrata praestat aliis difficultatibus expedire, aliisque argumentis confirmare.

22 Eusebius enim scripsit Paulum Romam missum a Festo [4]), huicque narrationi notam adscripsit anni II imperii Neronis, quae signat annum Abrahae MMLXXII; etsi autem annus II imperii Neronis inceperit a. d. III id octobr. an. aer. vulg. LV, ille tamen Abrahae annus ante sesquimensem inceperat [5]), proinde ex his Eusebii verbis minime consequitur Paulum e Iudaea profectum esse post III id. octobr. an. aer. vulg. LV [6]). Hieronymus quidem aperte ait id factum anno II imperii Neronis [7]), proinde post diem III id octobr.; verum loquitur fortasse, non de ipso Pauli discessu ex Iudaea, sed de adventu in Urbem. Praeterea, quum sicut in alio loco [8]) animadvertimus, Hieronymus, quod et Paulus Orosius fecisse videtur [9]), annos imperii, non a die, quo id susceptum, sed, pro more suae aetatis, a prioribus kalendis ianuar., videlicet secundum consules, fortasse numeraret, annus secundus Neronis, quem dicit, alius non esse credendus foret, quam annus aer. vulg. LV, nec ipse Hieronymus loqui potius de Pauli adventu in Urbem, quam de discessu ex Iudaea. Adde, quod in libro de Viris illustribus ita scripserit: *Paulus . . . post passionem Domini vicesimo quinto anno, id est, secundo Neronis, . . . Romam vinctus mittitur* [10]); quum autem in Chronico Christum in crucem actum scripserit anno XVIII imperii Tiberii, qui, si praedicta ratione horum annorum numerus ineatur, foret annus aer. vulg. XXXI, concludere oporteret annum vicesimum quintum *post*

---

[1]) Antiq. L. XX. c. 6. [2]) Bell. L. II. c. 12. § 3. [3]) Antiq. ib. § 2; Bell. ib. § 6. [4]) Canon. chronic. [5]) L. III. Diss. XIX nn. 14 seqq. [6]) Ib. nn. 66. 67. [7]) De vir. illustr. c. 5. [8]) Cap. II. nn. 31. 38. [9]) Lege Diss. XIX. n. 106. [10]) De vir. ill. c. 5.

passionem Domini, secundum rationem temporum computatam a Hieronymo, alium non esse, quam qui desiit in pascha anni aer. vulg. LVI.

23 Scripsit utique Hieronymus haec de Luca: *Cuius historia usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum* [1]) quumque annus iste quartus, si initium sumas a prioribus kal. ianuar., sit annus aer. vulg. LVII, non autem LVIII, in cuius extremum mensem ianuarium vidimus (15) exiisse *biennium Romae commorantis Pauli*, videtur Hieronymus annos imperii Neronis numerasse, non eo modo, quo diximus, sed, ut aetate Neronis fieri solebat, initio ducto a die, quo is Claudio successit, similique ratione numerasse annos principatus Tiberii, sensisse igitur Christum in crucem actum, non eo anno, qui fuit aer. vulg. XXXI, sed insequente, XXXII, proinde annum vicesimum quintum *post passionem Domini*, quo Paulum Romam venisse narrat, eum esse, qui exiit in pascha anni aer. vulg. LVII, non autem superioris anni LVI. Verum haec levi negotio diluerentur. Nam recte dicitur historia Actuum apostolorum pertingere *usque ad quartum Neronis annum*, etiam si hunc numeres facto initio a prioribus kalend. ianuar., quum ex anno quinto pari ratione numerato historia haec non plus fortasse, quam unum mensem, attingat. Insuper, quum Nero imperio potiebatur, mos quidem obtinebat, ut in numerandis annis imperii initium fieret ab ipso die, quo quis illud accipiebat, non vero a prioribus kal. ianuar., ab imperio tamen Antonini contra fieri coepit [2]); quare fieri potuit, ut Hieronymus ad veterem illum morem animum non adverteret, quum ea scriberet, sed putaret *quartum Neronis annum*, in quem didicerat desiisse *biennium Romae commorantis Pauli*, eum esse, qui nobis est aer. vulg. LVII, quum tamen revera ille esset qui incepit III id. octobr. huius ipsius anni LVII, exiitque in diem IV id. octobr. insequentis LVIII. Ad haec, quum pro comperto habeamus, Hieronymum, aeque ac patres plerosque, de minutioribus huiusmodi investigationibus temporum atque aetatum parum fuisse sollicitum, haud mirum est, minime attendisse, ut ex longioris itineris descriptione, quae legitur apud Lucam, necessario efficiatur Paulum affecta aestate Caesarea profectum Romam non advenisse, nisi anno insequente post XI kal. februar. (15), idque putasse factum ante exitum prioris decembris, ideoque quum adhuc iret secundus annus imperii Neronis ductus a prioribus kal. ianuar., ex quo concludere oportebat biennium impletum intra annum quartum pari modo numeratum. Lege tamen, quae de his in alio loco [3]) disputamus.

24 Verum de anno, quo Paulus primo Romam iter fecit, dubitationem omnem adimit, ut diximus (15), testimonium eius, qui fuit Pauli comes itineris, ipsius, inquam, Lucae. Nam ex Actis apostolorum comperimus Paulum navigasse, postquam Festus Felici successerat in procurationem Iudaeae, eodem tamen anno [4]), ante autumnum (15). At Felicem nec ante annum LV, sicut Petavius quoque sensit [5]), nec serius, quam inita aestate huius anni, Romam ex Iudaea reversum esse, colligimus ex historiis Iosephi et Taciti. Praestat autem integrum tempus procurationis ab eo gestae definire, quum huius rei notitia conducat cumprimis ad intelligentiam ceterorum, quae habet historia novi testamenti, quo quidque tempore factum sit.

25 Cumanus Iudaeae praepositus fuit a Claudio anno octavo imperii sui [6]), qui annus incepit a. d. IX kal. febr. an. aer. vulg. XLVIII. Dies igitur festus paschatis, quo turbae commotae fuerunt Hierosolymae Cumano procuratore Iudaeae [7]), esse non potuit prius hoc ipso anno XLVIII. Aliud eo est pascha, sub quod Cumanus a Quadrato rectore Syriae Romam proficisci iussus est [8]); idque apparet ex serie rerum gestarum [9]). Quare Felix procurationem Iudaeae gerere non coepit [10]), nisi post pascha an. XLIX. Eam tamen gerebat procul dubio anno LII, id enim legimus apud Tacitum [11]). Quum vero IAM PRIDEM *Iudaeae impositus* dicatur a Tacito, ubi is narrat, quae illo anno LII gesta sunt [12]), anno autem LIII paucis diebus post pentecosten Paulus sic ipsum alloquutus sit (18): *Ex* MULTIS ANNIS *te esse iudicem genti huic sciens* [13]), non facile inducerer, ut crederem pascha, ante quod Cumanus dimissus, et post quod Felix in huius locum suffectus est, seriore anno actum quam anno XLIX. Cave sis autem, ne Iosephi verbis male intellectis concludas Felicem Iudaeae praepositum esse post annum duodecimum principatus Claudii; non enim modo id Iosephus minime dicit, sed aperte contrarium nos docet: *Πεμπει δε*, inquit, *και Κλαυδιος Φηλικα Παλλαντος ἀδελφον των κατα την Ἰουδαιαν προστησομενον πραγματων. της δε ἀρχης δωδεκατον ἐτος ἠδη πεπληρωκως δωρειται*

[1]) Ib. c. 7. [2]) Lib. III. Diss. XXXIX. n. 10. [3]) Lib. III. Diss. XIX. n. 86. [4]) Conf. Act. XXIV, 27; XXV, 1. 6. 11. 12. 13. 14. 22. 23; XXVII, 1. [5]) Doctr. temp. L. XI. cc. 11. 12. [6]) *Ioseph.* Antiq. L. XX. c. 5. § 2; Bell. L. II. c. 12. § 1. [7]) *Ioseph.* Antiq. ib. § 3; Bell. ib. [8]) *Id.* Antiq. ib. c. 6. § 2; Bell. ib. § 6. [9]) Conf. *Id.* Antiq. ib. c. 5. § 3. — c. 6. § 2; Bell. ib. §§ 1—6. [10]) *Id.* Antiq. ib. c. 7. § 1; Bell. ib. § 8. [11]) Annal. L. XII. § 54. [12]) Ib. [13]) Act. XXIV, 10.

τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου τετραρχίᾳ. ***Mittit Claudius Felicem Pallantis fratrem, qui rebus Iudaeae praeesset. Imperii vero anno duodecimo iam expleto donat Agrippam Philippi tetrarchia*** [1]. Nero anno LIV a. d. III id. octobr. imperium accepit, qui principatus sui anno primo partes aliquot Iudaeae adiecit regno Agrippae, reliquae vero regioni, decrevit, ut Felix praesidere pergeret [2]. Ergo, nisi credere velis, intra sesquimensem post acceptum imperium, tum id a Nerone decretum tum Felicem mox ab eo munere remotum fuisse, dicas oportet, hoc alterum non prius factum, quam anno LV. Non tamen serius inita aestate huius anni. Etenim Felix, Romam reversus atque a Iudaeis accusatus, *dedisset . . . omnino poenas iniuriarum, quibus Iudaeos affecerat, nisi Nero fratris Pallantis, qui* TUM MAXIME *apud eum in honore erat, precibus supplicibus multa indulsisset* [3]; Pallans vero ex Neronis amicitia excidit, demotusque est a cura rerum [4], postremis mensibus an. LV, id enim apparet ex iis, quae prius intra annum hunc gesta Tacitus refert [5], exque iis, quae continuo subiicit [6].

26 His tamen Baronius ea opposuit [7], quae sibi legere visus est apud Iosephum [8], veluti si is narraret, se *post annum aetatis sextum et vicesimum* Romam venisse, *cum . . . adhue Felix esset in magistratu.* At Iosephus ortus *primo anno principatus Caii Caesaris* [9], aerae vulgaris XXXVII, vicesimum sextum aetatis annum explevit anno aer. vulg. LXIII. Itaque, si Iosepho fides habenda, dicere etiam oportet Felicem ante annum hunc Iudaea non excessisse. Verum longe aliud, quam Baronio visum est, scripsit Iosephus, se, *post annum sextum et vicesimum* Romam petiisse, ut opem ferret amicis, qui illuc missi eo tempore fuerant, *quo tempore Felix in Iudaea procurator erat*; idque accidisse multo ante, quam ipse illud iter faceret, ex ipsa huius narratione intelligimus, quum dicat id se consilii cepisse hac potissimum de caussa, *quod* illi in Urbe degentes, *licet in malis, non obliti essent suae in Deum pietatis, et ficis ac nucibus vitam sustentarent.* Hoc Baronii παρόραμα iam animadverterat Petavius [10].

27 Constat igitur Felicem sexennium egisse in procuratione Iudaeae, quam acceperat post pascha an. XLIX, dimisitque inita aestate an. LV. Atqui Paulus eo ipso anno, quo Felix, tametsi post huius discessum, Romam iter facere coepit, utque colligere est ex libro Actuum apostolorum, aestate iam dimidiata, proinde aliquot mensibus post expletum alterum annum, ex quo Hierosolymae in vincula fuerat coniectus. Quare ad liquidum habemus exploratum, biennio, de quo quaestio est, non aliud tempus definiri a Luca, quam quod Paulus degit in custodia Caesareae, antequam Felix abiret, quod nemo patrum negavit, aliqui vero expressis verbis professi etiam sunt se credere [11].

28 Quae quum ita sint, manet, quod superius (12) affirmavimus, alterum biennium, quod Paulus primo Romae degisse narratur, desiisse in exeuntem mensem iannar. an. LVIII, atque adeo, quum liber Actuum apostolorum paullo post a Luca fuerit absolutus, evangelium, utpote prius hoc libro, ante annum hunc LVIII fuisse conscriptum.

29 Attamen pluribus post annis, quam Christus mortem obierat. Etenim discimus ex ipso evangelii exordio, quum Lucas scribere coepit, iam prodiisse *narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum* [12], scilicet aliquod evangelium [13], eamque [14] ordinare multos iam conatos fuisse [15]. Primum evangelium, quod Matthaei est, non editum, nisi post tres ut minimum annos ab obitu Christi, postque annum aer. vulg. XXXII, in alio loco [16] vidimus. Vidimus quoque gentes alias Iudaeis, in quarum utilitatem Lucas opus suum composuit, Christo adiungi non coepisse, nisi post annum aer. vulg. XXXIV [17]. Quum vero Marcus scripserit evangelium anno XLII exeunte, aut procul dubio ante medium annum XLIII [18], iam nemo haerebit, quominus credat ante annum XLIV evangelium a Luca minime fuisse exaratum. Quocum consonat vetustissima πατροπαράδοσις (54—56), Lucam scripsisse auctore imo et adiutore Paulo, ergo post quam Paulo sese adiunxerat. Id vero accidit non serius prioribus mensibus anni XLVIII, id est, quatuor ut minimum tribusve mensibus amplius quam quinquennio ante illum diem, quo Paulus comprehensus est [19]; attamen, ut videtur, post concilium hierosolymitanum (2), non igitur ante postremos menses an. XLVII [20].

---

[1]) Antiq. ib. [2]) *Id.* ib. c. 8. § 4; Bell. ib. c. 13. § 2. [3]) *Id.* Antiq ib. § 9. [4]) *Tacit.* Annal. L. XIII. § 14. [5]) Ib. §§ 11—13. [6]) Ib. § 15. [7]) Annal. eccl. an. LVIII n. 157. [8]) Vit. § 3. [9]) Ib. § 1. [10]) Doctr. temp. L. XI. c. 11. [11]) *Euthalius* Prolog. edition. epistolar. Pauli, aliique ap. *Tillemont* Memoires pour servir à l'hist. eccl. T. I. s. Paul. n. 56. [12]) Luc 1, 1. [13]) Lib. III. Diss. I. nn. 3. 10. 11. [14]) Ib. nn. 3—9. [15]) Luc. ib. [16]) Cap. I. nn. 16. 17. [17]) Cap. II. n. 47. [18]) Ib. nn. 23. 49. [19]) Conf. Act. XVI, 10. — XX, 6. [20]) Cap. II. n. 41.

30 Gregorius Nazianzenus [1]) et Hieronymus [2]) aiunt hoc evangelium scriptum fuisse in Graecia circa Achaiam et Boeotiam. In actis apostolorum non legimus Lucam umquam fuisse in his regionibus. Nam primo comparet, quum Paulum Troade usque Philippos comitatus est [3]), non serius prioribus mensibus an. XLVIII. Paulo inde discedente Lucas illic remansisse dicendus est, ut iam animadvertimus (8); siletque postea de se usque ad illud caput, in quo narrat se una cum Paulo ex hac ipsa urbe profectum Hierosolymam post dies festos azymorum [4]), idque, sicut superius (13) ostendimus, an. LIII. Nisi igitur dicere velis, ad quod tamen nihil te compellit, Lucam toto illo quinquennio Philippis esse commoratum, habes tempus, non tamen aliud, saltem quaestioni huic nostrae opportunum, praeter id, quo tempore is in Graecia versari potuit.

31 Porro autem definiri hoc tempus posse quidam autumant argumento petito ex his verbis, quae Paulus Corinthiis scripsit in altera epistola: *Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in evangelio per omnes ecclesias* [5]). Enimvero haec de Luca dicta esse creditum est ab ipsa prima ecclesiae aetate; sic enim sensere Hieronymus [6]), Ambrosius [7]), Origenes [8]), Ignatius [9]). Reperimus quidem Chrysostomum secus opinatum propter illa: *Non solum autem, sed et ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostrae in hanc gratiam, quae ministratur a nobis* [10]) quae Paulus illis prioribus continuo subdit, *Ex quo*, inquit, *mihi Barnabam significare videtur* [11]); attamen alias haud semel ea tamquam dicta de Luca simpliciter intellexit, atque interpretatus est [12]). Nomine autem *evangelio* signari a Paulo in eo loco ipsum Lucae evangelium, iidem Origenes, Ambrosius, et Hieronymus [13]) putarunt. Quare, quum Paulus alteram epistolam Corinthiis miserit id temporis, quo pulsus Epheso in Macedonia denuo versabatur, ante quam tres menses in Gracia postremo degeret [14]), id est, sub finem anni LII [15]), dicendum foret Lucae evangelium non serius hoc anno in lucem prodiisse.

32 Profecto Lucam esse, quem Paulus ex Macedonia Corinthum miserat una cum Tito veri minus simile nemini fiet, qui meminerit Lucam ante quinquennium Philippis, quae Macedoniae caput est, relictum fuisse a Paulo (8. 30), ut vero Paulus tertio illuc venerat, inde cum eo Hierosolymam discessisse post dies festos azymorum an. LIII; ex hoc enim iure conticimus toto illo spatio quinque ut minimum annorum, quo de ipso historia silet, haudquaquam eum Paulo Graeciam, Asiam, Syriam, peragranti fuisse comitem itineris, sed in Macedonia finitimisque regionibus versatum esse. Potuit igitur Lucas e Macedonia mitti Corinthum, inque illam reverti, vel antequam Paulus inde proficisceretur, vel postquam et ipse Corinthum denuo venerat. Quaeres, qui potuerit Paulus *comitem peregrinationis suae* dicere Lucam, qui, prout apparet ex Actis, non aliud iter ad id tempus fecerat cum Paulo, quam Troade Philippos (8), idque ante quinquennium (30). Sed ratio facile apparet. Quum enim Paulus agat in illo loco de stipe conferenda [16]), quam ipse allaturus erat Hierosolymam ad Christianorum inopiam sublevandam [17]), iure creditur non de itineribus suis in universum loqui, sed de illo quod paucis post mensibus [18]), eam ob rem ad eam urbem facturus erat, et cuius itineris socium Lucam denuo habuit [19]). Imo de hoc itinere se loqui Paulus ipse aperte nos docet, utpote habendo *in* HANC *gratiam*, inquit, *quae administratur a nobis ad Domini gloriam et destinatam voluntatem nostram*; quae *gratia*, ut cuivis apparet illud caput integrum perlegenti [20]), aliud non est, quam subsidium Hierosolymitis afferendum.

33 At non item fit mihi verisimile Paulum illis verbis de Lucae evangelio esse loquutum, saltem quantum ea per se ipsa sonant. Quam saepissime Paulus evangelium nominat, at fortasse nec semel ita, ut de libro eum loqui certo constet, ferme vero videtur hoc vocabulo signare velle, saepe etiam signat procul dubio, non aliud, quam divina Christi dogmata atque instituta, vel doctrinam, qua idem ipse Paulus horum notitiam populis tradebat [21]). Tum eamdem illam laudem aut similem ab evangelii amore ac studio aliis quoque tributam a Paulo utque etiam feminis invenimus, Timotheo [22]), Evodiae, Syntychae, Clementi, ceterisque adiutoribus suis [23]).

---

[1]) Carm. XXXIII. [2]) Prolog Commentar. in Matth. [3]) Act. XVI, 10—17. [4]) Act. XX. 6. [5]) II Cor. VIII, 18. [6]) De vir. ill. c. 7; ad Paulin. q. LIII al. CIII. § 8. [7]) In Luc. L. I. § 11. [8]) In Luc. hom. I. [9]) Ep. ad Ephes. § 15. [10]) II Cor. VIII, 19. [11]) In II Cor. h. I. hom. XVIII. § 1. [12]) In Acta hom. I. §§ 1. 2; in II Tim. V, 11 hom. X. §§ 1. 3. [13]) LL. cc. [14]) Act. XX. 2. 13. Lege *Paley*, La vérité de l'hist. de s. Paul ch. 4. [15]) Conf. Act. XX, 2—6. 16 cum dictis super. n. 13. [16]) Conf. I Cor. XVI, 1. 2; II Cor. VIII—IX. [17]) I Cor. XVI. 3. 4; Act. XXIV, 17. [18]) Conf. Act. XX, 2—6. [19]) Ib. 6. [20]) II Cor. VIII, 1. 4. 6. 7. [21]) Rom. I, 1 etc.; I Cor. IV, 15; IX, 12. 14 etc.; II Cor. II, 12; XI, 7 etc.; Gal. I, 6; II, 7 etc.; Eph. I, 13 etc.; Philipp. I, 5. 12. 16. 27; II, 22; IV, 3. 15; Coloss. I, 5 etc.; I. Thess. I, 5; II, 2. 9 etc.; II Thess. I, 8 etc.; I Tim. I, 11; II Tim. I, 8. 10; Philem. 13. [22]) Philipp. II, 22; I Thess. III, 2. [23]) Philipp. IV, 2. 3.

34 Item dicendum de eo, quod memoriae prodiderunt Eusebius [1]) et Hieronymus, ut quidam suspicarentur, *quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit: Iuxta evangelium meum, de Lucae significare volumine* [2]); in qua sententia fuit etiam Chrysostomus [3]), nun item Origines [4]). Quod si id foret exploratum, non tamen hoc multum iuvaremur ad magis definiendum tempus, quo Lucae evangelium scriptum fuit. Etenim illud *secundum evangelium meum*, primo usurpavit Paulus in altera epistola scripta Thessalonicensibus [5]). Scripta autem fuit epistola haec haud breve post tempus, ex quo Silas et Timotheus Corinthum ad Paulum reversi fuerant ex Macedonia [6]), num inter horum adventum hancque alteram epistolam missam ad Thessalonicenses Paulus primam epistolam his dederat [7]). Scripta attamen fuit antequam is Ephesi consilium caperet, *transita Macedonia et Achaia, ire Ierosolymam* [8]). Alteri enim huic epistolae, aeque ac primae, praescripta sunt nomina *Paulus, et Silvanus, et Timotheus*. At, quum Paulus illud consilium cepit, Silvanus ab eo abfuisse dicendus est; quum enim mox praemisisset Timotheum et Erastum in Macedoniam [9]), paullo post scripsit Corinthiis primam epistolam [10]) in qua praescripta leguntur nomina *Paulus et Sosthenes*, non autem Silvanus, qui tamen si praesens adfuisset, eius quoque nomen in ea legeretur, utpote qui una cum Paulo et Timotheo Corinthiorum ecclesiam fundaverit [11]). Post illa non videtur Silvanus unquam fuisse cum Paulo, saltem per id tempus, quod liber Actuum apostolorum complecitur, quum neque in altera epistola, quam aliquot mensibus post primam Paulus scripsit Corinthiis [12]), nomen Silvanus praescriptum legatur, sed solum *Paulus* et *Timotheus*, neque unquam Lucas eum nominet inter Pauli comites sociosque. Quibus positis id unum comperimus, alteram epistolam Thessalonicensibus missam a Paulo intra spatium quatuor annorum, quot ut minimum effluxere inter utrumque illum terminum, et quorum initium serius esse non potuit, quam autumno an. XLVIII.

35 Ut autem totam hanc investigationem tandem concludamus, animadvertere oportet scribendo evangelio haud opportunum fuisse tempus illud, quo Lucas Paulum diversas regiones peragrantem comitabatur, unt una cum ipso in populis docendis laborabat. Quamobrem putandus est Lucas scripsisse, vel dum abfuit a Paulo, vel dum Paulus longiore aliquo tempore cessavit. Lucas a Paulo non abfuit, sicut dictum est (30), nisi quinquennio, ex quo videlicet Philippis relictus ab eo fuit, donec una cum ipso Hierosolymam inde iter fecit. Cessasse Paulus nec legitur, nec creditur, nisi quamdiu in custodia detentus est, primum Caesareae, tum Romae. Evangelium Lucae Caesareae scriptum aut Romae, nemo, quod sciam, memoriae prodidit; nam, quae Irenaeus narrat [13]), quomodo intelligere ea oporteat, in alio loco [14]) exposuimus. A veteribus traditum est, scriptum fuisse in Graecia, ubi Lucam diu et quiete commorari non potuisse vidimus, nisi intra illud quinquennium. Igitur haud vereor, ne errore ducar, si pronuntiem evangelium a Luca exaratum fuisse inter medium annum XLVIII atque extremum LII.

QUAESTIO III

Cuiusnam aut quorum usui hoc evangelium fuerit destinatum.

36 Lucae evangelium Theophilo scriptum est [15]). Utrum certus quidam vir signetur hoc nomine, an potius Christiani in universum, utpote *Deo cari*, aut forte singularis aliqua ecclesia, discors sententia est. Primum tenuit Chrysostomus [16]), alterum Ambrosius [17]) videtur tenuisse, utrumlibet Epiphanius [18]) et Origines [19]) nos tenere sinunt, tertium denique recentiores quidam opinantur. Equidem Chrysostomo assentior. Si enim nulli certo homini opus suum Lucas destinabat, quorsum ea compellatio, eaque, nisi semel in toto opere adhibita? Quinam historicorum simile quid fecit? num enim Livius aut Sallustius Romanos, num Herodotus aut Thucydides Graecos, quibus historias scribebant, harum initio compellarunt? Tum quanto insolentius rhetorica illiusmodi figura ad id usurpata? Quid vero titulus ille κράτιστος *optimus*, sive, quod verius est, *fortissimus*, fictitio huic Theophilo additus, tametsi eorum proprius, qui certis quibusdam muneribus publicis fungebantur? Insuper Lucas ita plerumque de Iudaeorum rebus mentionem iniicit, si ea excipias, quae ad geographiam pertinent (49),

[1]) H. E. L. III. c. 4. [2]) De vir. ill. c. 7. [3]) In Acta hom. I, § 1. [4]) In to. p. 6 ed *Huet.* [5]) II Th. II, 13. [6]) Act. XVIII, 5. [7]) *Paley* op. cit. cc. 9. 10. [8]) Act. XIX, 21. [9]) Ib. 22. [10]) *Paley* op. cit. c. 3. [11]) II Cor. I, 19. [12]) *Paley* op. cit. c. 4. [13]) Heres. L. III. c. 1 § 2. [14]) Cap. II. nn. 15—22. [15]) Luc. I, 3. [16]) In Acta hom. I. §§ 2. 3. [17]) In Luc. L. I. § 12. [18]) Haer. LI, § 7. [19]) In Luc. hom. I.

ut qui positum habeat eas lectori satis notas esse, neque aliquid addat declarationis gratia, contra ac a Marco factum vidimus [1]. Exempli caussa haec sint: Luc. I, 5. 8—10; II, 22. 36; IV, 20; VI, I; IX, 53; XI, 38; XVI, 9; XVIII, 12 [2]. Atqui neque Iudaeis (45—53) librum suum Lucas destinavit, nec Christianorum natio ex aliis gentibus consociata Iudaeorum mores et consuetudines, illa praesertim aetate, satis perspectas habere poterat. Vir igitur aliquis singularis sit, oportet, cui Lucas scripsit evangelium. Sed de Theophilo satis dictum est in alio loco [3].

37 Ceterum, quum credibile haud sit evangelium in unius dumtaxat viri, quantumvis de rebus Christianorum bene meriti, utilitatem editum esse, non ita uni Theophilo illud scripsisse Lucas putandus est, ut non propositum haberet aliorum quoque commodis atque doctrinae scribendo prospicere. Origenes nimirum memoriae prodidit hoc evangelium *in gratiam Gentilium conscriptum* [4]; idquo videtur significare voluisse Hieronymus narrans, ut *Lucas . . . Graecis evangelium scripserit* [5], tametsi, non *Graecis*, sed *in Graecis* quidam legunt in hoc loco [6]. Ratio est profecto, credere Lucam his scripsisse potius, quam Iudaeis, utpote qui discipulus esset Pauli (2), cui *creditum est . . . evangelium praeputii* [7], et, sicut a prisca Christianorum aetate traditum est, Paulum scribendi auctorem atque adiutorem habuerit (54—56). Dubitare autem hac de re iam non erit, si maneat illud, quod a nobis demonstratum est [8], Theophilum origine Iudaeum habendum minime esse.

38 Sed praestat rem iis argumentis confirmare, quae evangelium ipsum suggerit. Illud autem positum sit, oportet, Lucae, qui post Matthaeum et Marcum evangelium composuit (9—11), utriusque opus notum omnino fuisse. Id, opinor, iam evicimus [9], ob rem tamen fore arbitror, si plenius comprobemus.

39 Etenim, ubi Lucas eadem refert, quae et Matthaeus et Marcus aut alteruter, iisdem quoque atque illi verbis loquutionibusque uti eum videas haud raro, aut plane similibus, aut magna ex parte. Haec autem digesta in certa quaedam capita, id enim utile accidet, infra indicantur.

Quae in trium narrationibus sunt iisdem aut plane similibus verbis, haec potissima sunt:

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
IV	„	32	VII	„	28	I	„	22
V	„	13	VIII	„	3	„	„	41
„	„	20	IX	„	2	II	„	5
„	„	28	„	„	9	„	„	14
VI	„	10	XII	„	13	III	„	5
VIII	„	33	VIII	„	32	V	„	13
„	„	53	IX	„	24	„	„	40
IX	„	16	XIV	„	19	VI	„	41
„	„	17	„	„	20	„	„	42
XXII	„	13. 19	XXVI	„	19. 26	XIV	„	16. 22

Quae vero dumtaxat in Lucae et Matthaei narrationibus leguntur, omnia aliis atque aliis verbis expressa sunt. Quae denique in narrationibus Lucae et Marci eadem sint aut plane similia, non plura his reperies: Luc. IV, 35 et Marc. I, 25; Luc. IX, 44 et Marc. I, 39; Luc. VIII, 35 et Marc. V, 14. 15; Luc. XXII, 12 et Marc. XIV, 15.

---

1) Cap. II. n. 58. 2) Lege Lib. III. Diss. I. n. 24. 3) Ib. nn. 23—25. 4) Ap. *Euseb.* H. E. L. VI. c. 25. 5) Ad Damas. ep. XX al. CXLV. § 4. 6) Ib. adnot. *Vallars.* 7) Gall. II, 7. 8) Lib. III. Diss. I. nn. 24. 9) Cap. II. n. 13.

In sermonibus sententiisque, quae iisdem loquutionibus aut prorsus similibus referuntur a tribus, haec praecipua sunt:

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
V	„	12. 13	VIII	„	2. 3	I	„	40. 41
„	„	14	„	„	4	„	„	44
„	„	20	IX	„	2	II	„	5
„	„	23. 24	„	„	5. 6	„	„	9. 10
„	„	31. 32	„	„	12. 13	„	„	17
„	„	35	„	„	15	„	„	20
VI	„	10	XII	„	13	III	„	5
VIII	„	8	XIII	„	9	IV	„	9
„	„	52	IX	„	24	V	„	39
IX	„	13	XIV	„	16	VI	„	37
„	„	20	XVI	„	15	VIII	„	29
„	„	23. 24	„	„	24. 25	„	„	34. 35
„	„	33	XVII	„	4	IX	„	5
„	„	35	„	„	5	„	„	7
„	„	41	„	„	17	„	„	19
XVIII	„	16	XIX	„	14	X	„	14
„	„	28	„	„	27	„	„	28
XIX	„	46	XXI	„	13	XI	„	17
XX	„	2	„	„	23	„	„	28
„	„	3. 4	„	„	24. 25	„	„	29. 30
„	„	5	„	„	26	„	„	31
„	„	8	„	„	27	„	„	33
„	„	9. 14—16	„	„	33. 38—41	XII	„	1. 7—9
XXI	„	8—10	XXIV	„	5—7	XIII	„	6—8
„	„	17. 21. 23. 27	„	„	9. 16. 19. 30	„	„	13. 14. 17. 26
„	„	31—33	„	„	33—35	„	„	29—31
XXII	„	61	XXVI	„	75	XIV	„	72
XXIII	„	3	XXVII	„	11	XV	„	2

Quae a Luca et a Matthaeo:

LUCAS			MATTHAEUS			LUCAS			MATTHAEUS		
III	„	7—9. 17	III	„	7—10. 12	XI	„	24—26	XII	„	43—45
IV	„	9	IV	„	6	„	„	29	„	„	39
VI	„	27. 28	V	„	44	„	„	31	„	„	42
„	„	41. 42	VII	„	3. 5	„	„	32	„	„	41
VII	„	8. 9	VIII	„	9. 10	„	„	34	VI	„	22. 23
„	„	19	XI	„	3	XII	„	7	X	„	31
„	„	22. 23	„	„	4— 6	„	„	22. 23. 25	VI	„	25. 27
„	„	24—28	„	„	7—11	„	„	27. 28. 31	„	„	28—30. 33
„	„	34. 35	„	„	19	„	„	34	„	„	21
IX	„	57—60	VIII	„	19—22	„	„	39. 40	XXIV	„	43. 44
X	„	2	IX	„	37. 38	„	„	42—46	„	„	45—51
„	„	3	X	„	16	XIII	„	21	XIII	„	33
„	„	13—15	XI	„	21—23	„	„	34. 35	XXIII	„	37—39
„	„	21. 22	„	„	25—27	XVI	„	13	VI	„	24
XI	„	2—4	VI	„	9. 11—13	XX	„	18	XXI	„	44
„	„	9. 10. 13	VII	„	7. 8. 11						

Quae a Luca et a Marco:

LUCAS			MARCUS			LUCAS			MARCUS		
IV	„	34. 35	I	„	24. 25	IX	„	49. 50	IX	„	38—10
V	„	21	II	„	7	XVIII	„	17	X	„	15
VI	„	9	III	„	4	XXI	„	3. 4	XII	„	43. 44
VIII	„	50	V	„	36	XXII	„	11	XIV	„	14
IX	„	26	VIII	„	38						

40 Animadverte praeterea, ut Lucas quaedam ex veteribus scripturis deprompta retulerit, non tamen qualia leguntur in harum exemplaribus sive graecis sive hebraicis, sed sicut ea retulerat Marcus aut etiam Matthaeus. Sunt vero haec:

Luc. III, 4 et Matth. III, 3 et Marc. I, 3 ex Is. XL, 3;
Luc. VII, 27 et Matth. XI, 10 et Marc. I, 2 ex Mal. III, 1;
Luc. XVIII, 20 et Marc. X, 19 ex Ex. XX. 13—16;
Luc. XXII, 37 et Marc. XV, 28 ex Is. LIII, 12.

41 Ad haec videmus, ut Lucas considerationem saepe intendat in eadem ipsa rerum adiuncta, in easdem harum caussas eosdemque effectus, in quae Matthaeus et Marcus, tametsi raro iisdem verbis, ut Luc. V, 20 et Matth. IX, 2 et Marc. II, 5; Luc. VIII. 53 et Matth. IX, 24 et Marc. V, 40; Luc. IX, 17 et Matth. XIV, 20 et Marc. VI, 42; Luc. XX. 19 et Marc. XII, 12, aut omnino similibus, ut Luc. XX, 5 et Matth. XXI, 25 et Marc. XI, 31; Luc. XXIII, 26 et Marc. XV, 21, plerumque aliis atque aliis, ut

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
IV	„	32	. . . .			I	„	22
V	„	22	IX	„	4	II	„	8
„	„	26	„	„	8	„	„	12
VI	„	7	XII	„	10	III	„	2
IX	„	33	. . . .			IX	„	6
XVIII	„	23	XIX	„	22	X	„	22
XX	„	6	XXI	„	26	XI	„	32
„	„	20	XXII	„	15	XII	„	13
„	„	23	„	„	18	„	„	15
XXII	„	56	. . . .			XIV	„	67

42 Sed et illud attendere est, ubi Matthaeus et Marcus in rebus narrandis aut in sermonibus, orationibus, sententiis, referendis discrepant, sive quia unus dicit, quae alter reticet, atque alter, quae unus, sive quia aliis atque aliis verbis et loquutionibus utuntur, Lucam subinde res ex utroque veluti colligere atque in unum cogere, verba vero partim ab uno partim ab altero mutuari. Confer inter se ea, quae infra indicantur.

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
III	"	4	III	"	3	I	"	2
"	"	16	"	"	11	"	"	7. 8
V	"	25	IX	"	7	II	"	12
VI	"	10	XII	"	13	III	"	5
VIII	"	25	VIII	"	27	IV	"	40. 41
"	"	48	IX	"	22	V	"	34
IX	"	5	X	"	14	VI	"	11
"	"	11	XIV	"	13. 14	"	"	33. 34
"	"	13	"	"	16. 17	"	"	37. 38
"	"	21	XVI	"	20	VIII	"	30
"	"	41	XVII	"	17	IX	"	19
XIV	"	34	V	"	13	"	"	50
XXI	"	11	XXIV	"	7	XIII	"	1

43 Praeterire autem minime oportet illum locum, in quo et Matthaeus, et Marcus, et Lucas narrant, quomodo Christus paralyticum restituerit. En tibi, quae apud singulos leguntur:

LUCAS	MATTHAEUS	MARCUS
V, 24. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico), Tibi dico, surge.	IX, 6. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (tunc ait paralytico), Surge.	II, 10. 11. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico), Tibi dico, surge.

Quis enim haud sentiat, ut verba illa παρενθετα, et Christi verbis inserta ab ipsis scriptoribus, Marcus ex Matthaei evangelio, Lucas ex alterutrius exscripserint?

44 Denique similitudo, quae Lucae evangelio est cum duobus prioribus, quod iam animum adverteris (39), apparet potissimum in orationibus sermonibusque, qui referuntur, ac longe magis, quam in narrationibus. Huc quidem nonnullis arcanum quid praefert ac veluti mysticum. At nullum in eo mysterium, si Lucas priora evangelia noverat, atque perlegerat. In rebus quippe narrandis sua sibi verba adhibere non dubitavit; ast in Christi aliorumque sermonibus aut orationibus referendis potius esse duxit eos transcribere, ut ne quid in iis immutaret, sed ipsa loquentium verbum quantum fieri poterat, nobis traderet, nisi quum aliqua aliter exprimenda aut iis, quae deerant, supplenda esse eum doceret, *qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis* [1]).

45 Noverat igitur Lucas utrumque evangelium, Matthaei et Marci, utroque usus est, atque ex utroque multa exscripsit, idque inferius (75) novo argumento confirmabimus. His autem positis comparatio ipsa huius atque illorum evangeliorum facile te docebit Lucam in aliorum, quam Iudaeorum, utilitatem opus suum edidisse.

46 Etenim in magna quaestione recentioribus quibusdem illud esse solet, cur Lucas, qui, ut vidimus, priora evangelia noverat, eaque adhibuit, plurima nihilominus praeterierit eorum, quae in illis sunt. At equidem illud certo affirmare posse mihi videor, vix esse inter haec, cuius praetermissionis caussam rationemque assequi nequeas, si ad Lucae consilium animum attendas, modumque, quo scribere instituit, de quibus inferius dicemus (68. 76), atque positum habeas Lucam aliis, quam

[1]) Luc. I, 2.

genere Iudaeis, librum suum destinasse. Etenim, quum Matthaei et Marci evangelia, quum poteram, attente atque accurate cum Lucae evangelio conferebam, ut investigarem, non modo singula, quae hic praetermisit, sed etiam qua de caussa aut quorsum praetermissa essent, non plura reperi, in quibus nulla omnino aut non satis manifesta ratio praetermissionis mihi occurreret, quam hos Matthaei versus: Matth. V, 8. 9; VI, 34; X, 42; XI, 28—30; XII, 36. 37; XXIV, 12; XXVII, 28. 29; XXVIII, 9; in ceteris, si excipias aliquot rerum adiuncta a Marco memorata, rationem hanc suggerebat vel Lucae consilium, vel modus scribendi, vel illud, quod is aliis scriberet, quam Iudaeis. Nunc de horum postremo, de prioribus vero, ubi locus erit (75. 79).

47 Itaque facile perspicius maximam partem eorum, quae, relata a Matthaeo et a Marco aut ab alterutro, a Luca praeterita sunt, vel ad leges atque instituta aut ad mores consuetudinesque Iudaeorum pertinere, adque ipsorum *πατροπαραδοσεις*· Matth. XI, 14; XVII, 10—13; XIX, 3—8; XXVII, 24; Marc. VII, 2—5, vel ad horum vitia et peccata: Matth. VI, 1—8. 16—18; X, 25; XI, 20; XXVII, 40, vel ad Pharisaeorum sectam: Matth. XII, 34; XV, 1—14; XVI, 5—12; XXIII, 2. 3. 5. 8—11. 15—22. 24. 26. 28. 33; Marc. VII, 8, vel proprie ad Iudaeos docendos movendosque de iis, quae tunc temporis maxime opus habebant: Matth. V, 17. 20—24. 27. 28. 31. 33—38. 43; XII, 7; XV, 15—20; XX, 20—24; XXI, 17—20. 28—32. 43; XXIV, 14; XXVII, 24. 25; Marc. II, 27, atque ipsorum mentibus notitiam Christi, qualem oportebat, plenius ingerendam: Matth. III, 14. 15; IV, 11; XII, 6. 23; XIV, 22—33; XVI, 22. 23; XXI, 10. 11. 15. 16; XXVI, 53; XXVII, 3—10. 19. 52. 53. 62—66; XXVIII, 2—4. 11—15. 18, vel denique illa esse, quae nosse Iudaeis magis, quam ceteris, curae esse poterat, et quorum facilior ipsis erat intelligentia: Matth. III, 4. 5; VII, 12. 15; IX, 36; X, 5. 6; XII, 5; XXIV, 11. 20. 24; XXVI, 3—5. 54. Item ex parabolis, quas legimus apud Matthaeum, non autem apud Lucam, quasdam Iudaeis obiurgandis aut commovefaciendis dictas esse manifestum est; sunt autem una in Matth. XVIII, 23—35 coll. 21, 22 et V, 43, altera in Matth. XX, 1—16, tertia in Matth. XXI, 28—30 coll. 31. Cur vero omnia haec Lucas praeteriit, nisi quia non Iudaeis scripsit, sed aliis, ad quos nihil horum quidquam attinebat? Sed plura sunt, quae id confirmant, quod defendimus.

48 Matthaeus enim atque adeo Marcus vocabula hebraica et syrochaldaica habent, a quibus tamen Lucas fere abstinuit, aut graeca pro illis posuit, ut videre est in Luc. VIII, 55 coll. Marc. V, 41, in Luc. IX, 33 coll. Marc. IX, 5, in Luc. XVIII, 41 coll. Marc. X, 51, in Luc. XXIII, 33 coll. Matth. XXVII, 33 et Marc. XV, 22, nullaque illorum, si quaedam nomina propria locorum excipias, apud eum reperiuntur, nisi *βατος* [1]) mensuram quamdam significans, ***sabbatum***, quod non modo in graecum, sed et in latinum sermonem iam pridem invaserat [2]), *μαμωνας* in notissimis Christi effatis [3]), et ***amen*** item a Christo adhibitum, quod tamen iam receptum fuerat in Christianorum sermonem, utpote in sacris solitum usurpari [4]), imo et extra ea, quod compertum habemus ex apostolorum scriptis [5]). Eodem illud referendum, quod Lucas praeterierit, quae legimus in Matth. XXVII, 46—49 et in Marc. XV. 34—36.

49 Apparet insuper Lucam iis scribere, quibus Iudaeorum regiones ignotae erant. Mentionem namque locorum, quam Matthaeus et Marcus fecere, ipse vel nullam facit: Luc. V, 17 coll. Matth. IX, 1 et Marc. II, 1; Luc. VIII, 4 coll. Matth. XIII, 1. 2 et Marc. IV, 1; Luc. IX, 18 coll. Matth. XVI, 13 et Marc. VIII, 27; Luc. IX, 44 coll. Matth. XVII, 21 et Marc. IX, 29; Luc. IX, 47 coll. Matth. XVII, 23 et XVIII, 1 et Marc. IX, 32, vel locorum nomen reticet: Luc. V, 12; IX, 56; X, 38; XI, 1; XIII, 10; XVII, 12; XXII, 40 coll. Matth. XXVI, 36 et Marc. XIV, 32, vel, si exprimit, eaque minus nota sint, de iis loquitur, ut fieri solet de locis obscurioribus, aut etiam aliquibus adiunctis ea illustrat: Luc. I, 26. 39; II, 4; IV, 29. 31; VII, 11; VIII, 26; IX, 10; XIX, 29; XXIII, 33. 51; XXIV, 13.

50 Sed et haec, quae iam dicam, velim, consideres. Ubi Matthaeus Pharisaeorum et Sadducaeorum meminit ad Ioannem Baptistam adeuntium [6]), Lucas simpliciter atque universe ***turbas*** commemorat [7]). Sic etiam, ubi narrantur insidiae a principibus sacerdotum in Christum instructae [8]), Lucas [9]) silet de Herodianis, quos Matthaeus [10]) et Marcus [11]) missos narrant ad Christum dolo circumveniendum. Ubi autem Christus a Matthaeo [12]) et a Marco [13]) inducitur praedicens futuram Hierosolymorum vastationem quibusdam verborum figuris petitis ex Danielis vaticinio [14]), apud Lucam,

---

[1]) Luc. XVI, 6. [2]) *Horat.* Satyr. L. I. sat. 9. v. 69. [3]) Luc. XVI, 9. 11. 13. [4]) I Cor. XIV, 16. [5]) Conf. Concordant. biblior. ad h. v. [6]) Matth. III, 7. [7]) Luc. III, 7. [8]) Matth. XXI, 45 et XXII, 15; Marc. XI, 27 et XII, 12; Luc. XX, 19. [9]) Ib. 20. [10]) Matth. XXII, 16. [11]) Marc. XII, 13. [12]) Matth. XXIV, 15. [13]) Marc. XIII, 14. [14]) Dan. IX, 27.

missis figuris et vaticiniis, aperte ipsam rem loquitur, ac praenuntiat [1]). Ea etiam, quae subiungimus, compara inter se diligenter.

LUCAS	MATTHAEUS	MARCUS
I, 5 In diebus Herodis regis Iudaeae	II, 1 In diebus Herodis regis	
IV, 9 In Ierusalem	IV, 5 In sanctam civitatem	
XII, 1 Attendite a fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis	XVI, 6 Cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum	VIII, 15 Cavete a fermento Pharisaeorum et fermento Herodis
XXII, 1 Dies festus azymorum, qui dicitur pascha	XXVI, 2 Pascha	XIV, 1 Pascha et azyma
- 7 Dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha	XXVI, 17 Primo autem die azymorum	

51 Quid autem, quod Lucas in transcribendis Christi sermonibus et orationibus, quas habent priora evangelia, ea, quae in ceteras gentes dicta esse videntur, prorsus resecat, aut eorum severitatem mitigat aliquo modo? Lege haec.

MATTHAEUS	LUCAS
V, 47 Nonne et Ethnici hoc faciunt?	VI, 33. 34 Et peccatores hoc faciunt . . . Et peccatores peccatoribus foenerantur
VI, 7—9 Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. . . . Sic ergo vos orabitis: Pater noster etc.	XI, 2 Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater etc.
- 32 Haec enim omnia gentes inquirunt	XII, 30 Haec enim omnia gentes mundi quaerunt
X, 5. 6 In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quae perierunt, domus Israel	IX, 3. 4 Nihil tuleritis in via etc. Et in quamcumque domum intraveritis etc.
XVIII, 15—17 Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe cum etc. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et publicanus	XVII, 3. 4 Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum etc. Et si septies in die peccaverit in te etc., dimitte illi
XXIV, 9 Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum	XXI, 17 Et eritis odio omnibus propter nomen meum

Huc et illud pertinet, quod omittit Lucas caput illud Matthaei et Marci, in quo est de muliere Chananaea Syrophoenissa [2]); nonnulla enim in eo leguntur in ceteras gentes acerbius a Christo acta et prolata [3]).

---

[1]) Luc. XXI, 20. [2]) Matth. XV, 22—28; Marc. VII, 25—29. [3]) Matth. ib. 23. 24. 26; Marc. ib. 27.

52 Usus denique veterum oraculorum et vaticiniorum in Lucae evangelio alius non est, quam in Marci [1]). Etenim Lucas numquam id consilii cepit, quod Matthaeum subinde cepisse vidimus [2]), quaedam consulto narrare aut commemorare, ex quibus occasionem peteret proferendi illa vaticinia atque oracula, sed neque unquam ex bibliis argumenta deprompsit, aut sententias exscripsit, nisi unum dumtaxat Isaiae vaticinium de Ioanne Baptista [3]), quare illas formulas *Tunc impletum est*, *Ut impleretur*, aut harum similes, quibus Matthaeus saepius usus est, Lucas nec semel usurpavit, tametsi eas, aeque ac sententias non paucas scriptorum *θεοπνεύστων*, usurpatas a Christo reperire sit in huius orationibus atque sermonibus, quos Lucas descripsit. Scilicet, quod diximus de Marco, de Luca etiam dicendum est, iis eum scripsisse, quibus, saltem in universum, scripturae sacrae nondum satis innotuerant.

53 Quae quum ita sint, illud ex his effici omnino videtur, quod probandum assumpseram (37), Lucae evangelium aliis, quam natione Iudaeis, fuisse destinatum, idque plenius quoque apparebit, ubi exponam, quo consilio Lucas opus coeperit, atque exegerit (76—80).

QUAESTIO IV

Quibus auctoribus scripserit Lucas.

54 A quibus acceperit Lucas ea, quae literis consignavit, partim ipse nos docuit, partim prodit ipsius liber, partim prisca aetas memoriae tradidit. Ex hac enim didicimus Lucae auctorem evangelii conscribendi Paulum fuisse. Irenaeus haec narrat: *Lucas . . . semper cum Paulo praedicavit, et dilectus ab eo est dictus, et cum eo evangelizavit, et creditus est referre nobis evangelium* [4]). Tertullianus: *Lucae digestum Paulo adscribere solent* [5]). Auctor Synopseos Athanasii nomine inscriptae: *Evangelium secundum Lucam dictatum quidem est ab apostolo Paulo, conscriptum vero et editum a Luca beato apostolo et medico* [6]). Gregorius Nazianzenus: *Λουκᾶς . . . . ἔγραψε Παύλῳ θαρσαλέος Χριστοῦ μεγάλῳ θεράποντι Lucas . . . . scripsit Paulo confidens Christi magno famulo* [7]). Chrysostomus: *Cum ait vero* Paulus: *Secundum evangelium, quod accepistis, de Lucae evangelio loquitur, ita ut non aberraverit, si quis ipsi hoc opus adscripserit* [8]). Non aliter sensisse videntur (34) Eusebius et Hieronymus. Profecto Tertulliani effatum est, cuius ratio nemini non patet: *Evangelicum instrumentum apostolos auctores habere, quibus hoc munus evangelii praedicandi ab ipso Domino sit impositum. Si et apostolicos, non tamen solos, sed cum apostolis, et post apostolos* [9]). Lucae igitur, utpote *apostolico*, apostolus aliquis scribendi auctor fuerit, necesse est; hunc autem Paulum esse, non alium, quum prisci testentur, non est, cur hac de re dubitemus. Id tamen eo etiam confirmatur, quod Lucas Pauli discipulus foret (2), itemque quibusdam ex illis, quae dicentur, ubi exponemus, quo consilio Lucas scripserit (78). An quidquam huc pertineat illud, quod Paulus *evangelii sui* subinde meminerit, superius disputavimus (34).

55 Sunt, qui existimant huius rei argumenta duci posse ex similitudine, quae intercedit inter quosdam huius evangelii locos atque epistolarum Pauli. Grabius inter ea, quae adnotavit in operibus Irenaei [10]), animadvertit, in prima epistola, quam Paulus scripsit Timotheo, procul dubio post editum a Luca librum Actuum apostolorum [11]), proinde et evangelium (12), legi haec verba: *Dignus est operarius mercede sua* [12]), eademque legi in evangelio Lucae [13]). Atqui Paulus ea refert, ut quae scripturarum sacrarum verba sint, nam sic loquitur: *Dicit enim scriptura*: . . . . *Dignus est operarius mercede sua.* Verum, quod iure ex his colligas, non aliud video, nisi Paulum haec exscripsisse ex Lucae evangelio; quamquam exscribere potuit etiam ex evangelio Matthaei, in quod paullo aliter ea relata sunt [14]).

56 Gravius aliquid suggerit Lucas, ubi describit institutam a Christo eucharistiam [15]). Ut enim narratio haec, praesertim quod attinet ad *verba*, ut vocant, *institutionis*, non parum discrepat a narrationibus, quas Matthaeus [16]) et Marcus [17]) de eadem hac re scripsere, ita simillima est illius, quae legitur in prima epistola Corinthiis missa a Paulo [18]). Cui argumento pondus aliquod accedit,

---

[1]) Cap. II. n. 58. [2]) Cap. I. n. 26. [3]) Luc. III, 4—6 ex Is. XL, 3—5. [4]) Haer. Lib. III. c. 14. § 1. [5]) Adv. Marcion. L. IV. c. 5. [6]) Synops. inter Opp. *Athanas.* T. II. p. 202 ed. *Maurin.* [7]) Carm. XLII. vv. 1. 2. [8]) In Acta hom. 1, § 1. [9]) L. c. c. 2. [10]) In *Iren.* l. c. [11]) *Paley.* La vérité de l'hist. de St. Paul ch. 11. [12]) I Timoth. V, 18. [13]) Luc. X, 7. [14]) Matth. X, 10. [15]) Luc. XXII, 19. 20. [16]) Matth. XXVI, 26—28. [17]) Marc. XIV, 22—24. [18]) I Cor. XI, 23—25.

nec leve illud fortasse, tum quia Paulus prius profitetur se ea, quae dicturus est, iam tradidisse Corinthiis [1]), tum quia haec epistola data fuit intra illud ipsum tempus [2]), intra quod Lucae evangelium prodiisse probavimus (35).

57 Sed enim Paulus haudquaquam cum Christo fuerat conversatus, quare et illud quaeritur, unde is aut Lucas res Christi gestas acceperint. Huic quaestioni Lucas ipse respondet, ubi ait se assequutum esse *omnia a principio diligenter* [3]), eaque *sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis* [4]), ipsi apostoli scilicet. Constat non de omnibus apostolis ex aequo dici potuisse, quod *ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*, quum non omnes simul una Christo sese adiunxerint. Omnium primi Andreas et alter [5]), qui Ioannes esse creditur, id egerunt, eodemque die, aut summum insequente, Petrus [6]). Proinde Petrus prae apostolis fere cunctis habendus est inter eos, *qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*, atque adeo qui Lucam res scribendas docuerunt. Huius rei vestigia non pauca exstant in hoc evangelio, ea, inquam, facta dictaque Petri, quae primus Lucas retulit, quae ergo non a Matthaeo aut a Marco acceperat, sed a nullo alio, aut certe a nemine melius, quam a Petro, doceri potuerat, atque adeo doctus fuerat procul dubio, utpote qui profiteatur se assequutum esse *omnia a principio* DILIGENTER, cuius diligentiae fuit, quae referret, illos interrogare, qui plenius ac melius haec noverant. Quis autem melius Petro nosset, quae ipse ad Christum [7]), quaeque Christus ad ipsum [8]), loquutus olim fuerat, aut illud, quod, quum Christus transfiguratus est in monte, Moyses et Elias cum eo colloquentes *dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem* [9]), quodque id temporis ipse *Petrus, . . . et qui cum illo erant, gravati erant somno* [10]); item ex monte illo se cum Christo non descendisse, nisi *sequenti die* [11]), a Christo missum se fuisse Hierosolymam cum Ioanne, ut pararent pascha [12]), lapsum sibi praedictum ante, quum a coenaculo in montem Olivetum una cum Christo egrederetur [13]), non autem postea dumtaxat, ut aliquis putare posset, nam a Matthaeo [14]) et a Marco [15]) id postea narratur; item quod tertio negavit se Christi esse discipulum *intervallo facto quasi horae minus*, ex quo id negaverat iterum [16]), quod continuo *conversus Dominus respexit Petrum* [17]), quod denique, ut Maria Magdalene nuntium attulit revixisse Christum, *Petrus . . . surgens cucurrit ad monumentum, et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit, secum mirans, quod factum fuerat* [18]). Atqui omnia haec primo a Luca descripta fuerunt. Quod si in horum aliquo uni alicui de ceteris apostolis, aut etiam pluribus, locus fuit, ipse tamen unum Petrum nominat, aut ante reliquos [19]); cuius rei caussam si esse dixeris principatum apostolorum, quem Petrus tenuit, non omnino abnuam, veriorem tamen hanc crederem, Lucam ea referre, quae ex Petro audiverat, huncque veluti testem appellare, praesertim quia illius principatus ipse, non secus ac Marcus, nullam mentionem fecit, ex quo momentum non leve additur sententiae huic, quam defendimus. Neque enim praeterire oportet, ut Lucas de Petro reticuerit ea omnia, quae relata a Matthaeo Marcus quoque reticuerat, scilicet, quorum mentio honori fuisset Petro; haec autem res, ut diximus [20]), Eusebio argumento fuit, quo nobis probaret Marcum Petro auctore scripsisse evangelium, proinde et nobis esse potest, cur quid simile de Luca sentiamus.

58 Ea vero, quae is unus narrat de Christo puero, ab ipsa huius matre audisse credendus omnino est, qua de re consentientes habemus nonnullos etiam de schola Rationalistarum [21]). Ait enim se assequutum esse *omnia a principio diligenter*, scilicet ea quoque, quae prima sunt in historia ab ipso conscripta; horum autem quinam testis tunc supererat *ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπτης qui ab initio ipse viderit*, et ex quo Lucas haec sciscitaretur, ut *omnia a principio diligenter* assequi valeret, nisi Maria virgo? Aliqua huius rei indicia, quae exhibet ipsum evangelium, alias [22]) notavimus, suntque illi loci, in quibus Lucas sanctissimam Dei matrem nominat, non aliam ob caussam, prout videtur, nisi ut huius testimonio comprobet ea, quae narrat. Sic etiam autumat scriptor Chronici Alexandrini [23]).

---

1) Ib. 23. 2) *Paley.* l. c. ch. 3. 3) Luc. I, 3. 4) Ib. 2. 5) Io. II, 35—40. 6) Ib. 41. 42. 7) Luc. VIII, 45; XII, 41. 8) Ib. V, 10; XXII, 31. 32. 9) Ib. IX, 31. 10) Ib. 32. 11) Ib. 37. 12) Ib. XXII, 8. 13) Ib. XXII, 33. 34 coll. 39. 14) Matth. XXVI, 34. 35 coll. 30. 15) Marc. XIV, 30. 31 coll. 26. 16) Luc. XXII, 59. 17) Ib. 61. 18) Ib. XXIV, 12. 19) Ib. VIII, 45; IX, 32; XXII, 8. 20) Cap. II. n. 63. 21) *Rosenmüll.* Scholl. in Luc. II, 52. Lege Lib. III. Diss. XXXVIII. n. 19. 22) Lib. III. Diss. XXIV. n. 8; Diss. XXVI. n. 18. 23) Ad ann. XLI Augusti indict. I.

QUAESTIO V

Quo consilio hoc opus Lucas adgressus fuerit.

59 Quodnam opus peragendum Lucas sibi assumpserit, et quo consilio illud effecerit, quaerere demum oportet. Compertum est errore veri eos duci, qui autumant posteriores evangelistas id dumtaxat praestandum sibi proposuisse, ut priorum libris, si ita loqui fas est, retractandis adlaborarent, vel addendo ea, quae in illis desunt, vel, quae sunt, in breve cogendo. Opinionem hanc prorsus refellit vel ipsa una evangeliorum collatio, ut vidimus, ubi de Marco loquuti sumus [1]), deinceque videbimus agentes mox de Lucae evangelio. Non illud igitur agere intenderunt posteriores evangelistae, quare nec Lucas, sed suum quisque sibi opus suo marte, idque peculiari aliquo consilio, exsequi instituit, tametsi priorum scriptis sese iuverit. Neque nobis, dum haec loquimur, adversatur Epiphanius sentiens Lucae id consilii fuisse, ut *quae fuerant ab aliis praetermissa, scriptis commendaret* [2]); non enim ait Lucam id unum voluisse, sed aliud praeterea longe maioris momenti. En integra ipsa eius verba: *Spiritus sanctus beatum Lucam occultis quibusdam stimulis cogit, et excitat, ut ex altissima illa voragine caecorum hominum mentes educeret*, ET, *quae fuerant ab aliis praetermissa, scriptis commendaret*. Illa duo autem, quae nunc quaerere adgredimur, Lucas ipse diserte posuit in exordio evangelii; ait quippe velle se *ex ordine scribere*, videlicet *narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum* [3]), idque eo consilio, inquit Theophilum alloquens, *ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem* [4]). Quomodo autem haec omnia ex evangelio appareant, breviter, quam fieri potest, exponemus.

60 Itaque, quid operis Lucas effecerit, si oculos in primam evangelii paginam coniicias, atque adeo in ipsa prima verba, continuo intelliges. Prodierat iam *διήγησις narratio, quae in nobis completae sunt, rerum* [5]), quam Matthaeus primo, tum Marcus, literis consignaverant [6]), neglecto tamen aut minus servato ordine temporum, quibus quaeque earum gestae fuerant [7]); quare *multi conati sunt ordinare narrationem* [8]) hanc, irrito tamen conatu [9]). Lucas igitur id ipsum exsequi adgressus est, id ipsum, inquam, quod multos conatos fuisse dicit, hoc est, *ex ordine scribere*, quibus verbis non aliud consilium significari, quam verbo *ordinare*, evincit particula *et* adhibita in illis: *Visum est* ET *mihi* [10]). Non tamen *ordinare διήγησιν narrationem* ipsam iam scriptis consignatam, id est, ipsa evangelia Matthaei et Marci, quod unum conati fuisse videntur ii, quos commemorat, sed aliam *διήγησιν*, aliam narrationem, aliud evangelium *ex ordine . . . . scribere*, quo ordine res narrandae gestae fuerant. Id omni ex parte comprobabit comparatio trium evangeliorum. Si enim ea inter se contuleris, nullo negotio intelliges in Lucae evangelio seriem rerum gestarum magna ex parte alio plane ordine digestam esse, quam in evangelio Matthaei. Cur vero Lucas id egisset, praesertim quum Matthaeus foret unus testium *αὐτοπτῶν, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*, nisi quia idem ipse Lucas compertum haberet, ordinem rerum a Matthaeo plerumque observatum haud fuisse, velletque ordinem hunc restituere? Contra vero hic ordo idem est in evangeliis Lucae et Marci, ubi Marcus historiam aliter digerit, ac Matthaeus, quippe quia Marcus et ipse, res, quas referret, ex Matthaei libro promebat, digerebat tamen eo ordine, quo gestas noverat, quumque Marcus omiserit permulta eorum, quae et a Matthaeo et a Luca referuntur, sed alio atque alio ordine, perpauca reperimus, in quibus ordo temporum, quem sequitur Lucas, discrepet ab illo, quem Marcus sequutus est, nec alia nisi ea, in quibus referendis et Matthaeus et Marcus ordinem unum atque eumdem sunt sequuti; sunt autem haec, Lucae XI, 14—23; XXII, 63—65, parsque versus 34 capitis XXIII. Ex his illud efficitur, ordinem rerum a Christo gestarum, non ex Matthaeo, imo neque ex Marco, sed ex Luca discere oportere. Quae contra dici possunt, quam brevissime expendemus, ac diluemus.

61 Lucas, non aliorum, quorum mentio est in evangelio, sed unius Christi (73. 74) res gestas *ex ordine scribere* instituerat; non igitur putandus est ab eo, quod ipsi propositum erat, aberrasse, quum prius de Ioanne in vincula coniecto [11]), mox de Christi baptismo [12]), loquutus est. Illud autem in eo loco narravit, scilicet ubi occasio visa est, quum ageret de Ioannis doctrina, propter quam

---

[1]) Cap. II. nn. 64—67. [2]) Haer. LI. § 7. [3]) Lege III. Diss. I. nn. 9—11. 22. [4]) Lege ib. nn. 26. 27. [5]) Luc. I, 1. [6]) Lib. III. Diss. I. nn. 10. 11. [7]) Ib. n. 10. [8]) Luc. I. c. [9]) Lib. III. Diss. I. nn. 4—8. [10]) Luc. I, 3. Lege Lib. III. Diss. I. nn. 18. 22. [11]) Luc. III, 19. 20. [12]) Ib. 21. 22.

in hunc offensus Herodes ipsum carcere inclusit [1]. Facile etiam intelliges, cur in fine primi capitis [2] ea scripserit de Ioanne, quae, si ad tempus spectes, posteriora sunt iis, quae continuo de Christo narrantur.

62 Matthaeus refert breve quoddam Christi ac scribae cuiusdam colloquium tunc habitum, quum Christus navim conscenderet, ut ex Galilaea Gerasam transmitteret [3]; aliud igitur est eo, quamvis huic simile, quod habitum est, quum Christus iter faceret Hierosolymam, quodque retulit Lucas [4], qui ceteroquin nullum scribam commemorat. Illud autem, quod continuo subiungunt tum Matthaeus [5] tum Lucas [6], nisi credere malis his duo plane similia simul accidisse, dicendum est factum quidem esse eo tempore, quo ait Lucas, a Matthaeo autem narrari in eo loco, haudquaquam ideo, quia factum fuerit post alterum, quod proxime narraverat, neque enim quid tale suspicari ipse nos iubet, sed quia inter utrumque intercedit quaedam unius ad alterum analogia.

63 Matthaeus narrare videtur Iairum archisynagogum pro filiae salute Christo preces adhibuisse, quum is de quadam quaestiuncula loqueretur inter convivium, quod Matthaeus ipse instruxerat [7], Lucas vero illud, utique post convivium, sed multis interiectis [8], narrat, tametsi Christum induxerat de illa ipsa quaestione in eo convivio loquentem [9]. Verum Lucas dicit Iesum ea loqutum esse, quum a convivis Pharisaeis et scribis interrogatus est, Matthaeus vero, quum *accesserunt ad eum discipuli Ioannis* [10], quos idcirco iure concludas in convivio minime interfuisse. Quare bis eadem quaestio Christo proposita fuisse credenda est, semel a Pharisaeis et scribis in domo Matthaei interque epulas, iterum a discipulis Ioannis eu ipsa hora, qua Iairus ad Christum adiit; alteram hanc Matthaeus commemoravit, Lucas primam, utpote a Mathaeo et Marco praetermissam (73), non autem et alteram, quippe prioris simillimam et ab iis iam commemoratam (74). Et illud adverte, quod Matthaeus cum descriptione convivii eam quaestionem connectit adhibita particula *τοτε tunc*, quae in eius evangelio plerumque nullum tempus definit, neque aliud exprimit, quam transitum ab una materia ad aliam. Quum autem bis proposita Christo fuerit ea quaestio, Matthaeus alteram solum memoravit, atque adeo, quod probe ipse noverat, ubi prima commemoranda erat, idque fortasse eo consilio fecit, ut iam desineret loqui de iis, quae in domo sua gesta fuerant [11]. Itaque haec evangelii capita hoc ordine disponenda sunt:

Matth. IX, 9—13 et	Luc. V, 27—32
Matth.	Luc. V, 33—39
|	|
Matth.	Luc. VIII, 40
Matth. IX, 14—17	Luc. . . . .
Matth. IX, 18—26	Luc. VIII, 41—56

64 Homo ille *δαιμονιζόμενος*, de quo Matthaeus in cap. IX, 32, alius est illo, cuius meminit Lucas in cap. XI, 14, nam de hoc altero idem ipse Matthaeus loquitur in cap. XII, 22.

65 Apud utrumque legimus, ut Christi discipuli, quum quondam die sabbato una cum magistro suo per agrum incederent, spicas collegerint, manibusque eas confricantes grana excussa comederent [12], moxque, ut Christus ingressus in synagogam hominis cuiusdam manum arefactam restituerit [13]; at Lucas aperte ait hoc alterum factum esse *alio sabbato* [14], Matthaeus e contra dicere videtur uno endemque sabbato utrumque accidisse [15]. Verum verba *Cum inde transisset*, quibus Matthaeus alteram historiam exorditur, necesse non est ita intelligere, veluti si utrumque evenerit uno eodemque die; sunt quippe formula quaedam dicendi Matthaeo usitata, aeque ac aliae huius similes, quae haudquaquam ea, quae sequuntur, continuo gestu fuisse significant, sed solum gesta fuisse post illa,

---

[1]) Lib. III. Diss. XLIII. nn. 9—11. [2]) Luc. I, 80. [3]) Matth. VIII, 18—20. 28. [4]) Luc. IX, 51. 57. 58. [5]) Matth. ib. 21. 22. [6]) Luc. ib. 59. 60. [7]) Matth. IX. 18 coll. 9—17 et Marc. II, 14. 15 et Luc. V, 27—29. [8]) Luc. VIII, 40—42 coll. l. c. [9]) Luc. V, 33—39. [10]) Matth. ib. 14 [11]) Lege Cap. I. n. 12. [12]) Matth. XII, 1; Luc. VI, 1. [13]) Matth. ib. 9—13; Luc. ib. 6—10. [14]) Luc. ib. 6. [15]) Matth. ib. 9 coll. 1—8.

quae prius narrata sunt, alioque in loco; id quidem manifestum subinde est, ut in Matth. XV, 29 coll. 21—28, praesertim quando formulae huiusmodi usurpantur nulla prius mentione iniecta loci alicuius, ad quem pertinere possint, ut in Matth. XI, 1 coll. IX, 35 — X, 42; XIV, 13 coll. XIII, 54 — XIV, 12.

66 Christus statim, ac sanum fecerat alterum duorum hominum *δαιμονιζομενον*, quos diximus (64), longiusculam orationem habuit, quam et Matthaeus [1]) et Lucas [2]) literis consignarunt. At Matthaeus continuo haec addit: *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius et fratres stabant foris quaerentes loqui ei* [3]), quod Lucas refert post aliam Christi orationem alias habitam [4]). Sunt igitur duo distincta inter se. Nec veri minus simile alicui fieri potest bis accidisse, ut Christi propinqui ad eum venirent, quum ad populum verba faceret; tum ea, quae Christus nuntio respondit, aliter sunt apud Matthaeum [5]), quam apud Lucam [6]). Ceterum animadverte id legi apud Matthaeum ante parabolam quamdam [7]), quam is dicit narratam a Christo *in illo die* [8]), apud Lucam vero post hanc eamdem parabolam [9]). Quare, etsi diffitendum non sit verba *in illo die* in sermone Matthaei, sicut etiam verba *in illo tempore*, *in diebus illis*, eodem loco habenda esse, ac adverbium *τοτε tunc*, de quo diximus (63), tantidemque valere, ac *quodam die*, nihilominus fieri posset, ut quis ea verba in sensum maxime proprium accipiens contenderet illud. *Adhuc eo loquente*, non de priore oratione a Christo habita, sed de posteriore dictum esse. Attamen, quominus huic adsentirem, illud obstat, quod Matthaeus ait, Christi matrem fratesque ad eum advenisse *eo loquente ad turbas*, at Lucas id narrat, postquam retulerat, ut Christus apostolis parabolam edisseruerit [10]), quod fecit, inquit Marcus, *ὁτε*... *ἐγενετο καταμονας cum esset singularis* [11]).

67 Demum, quo alias difficultates vincere queas, animadverte, ordinem, quem Lucas sequi instituit in historia describenda, esse rerum gestarum ac temporis, quo, inquam, facta sunt singula eorum, quae refert. Securis igitur nobis licet esse de eo, quod in Christi sermonibus atque orationibus a Luca relatis ad quaedam veluti offendimus, quae *ἀνακολουθα* videntur, eaque frequentiora fortasse, quam in aliis evangeliis. Exempli gratia haec sunto: Luc. VI, 39—41. 42—43; VIII, 15—16. 17—18; IX, 25—27; XI, 32—34; XII, 48—49. 50—51. 57—58; XVI, 15—19; XVII, 2—3. 6—7. Difficultates ceteras, si quae sunt, ad hoc caput pertinentes, in libro secundo diluuntur, ubi etiam diximus, quid de historia satanae Christum tentantis, quam Lucas alio ordine descripsit, ac Matthaeus, sentiendum sit [12]).

68 Nunc de modo, quo Lucas id opus tractavit, aliqua dicemus; hoc enim eo etiam pertinet, ut refutemus quorumdam opinionem superius (59) commemoratam putantium a Luca id unum praestitum, ut duo priora evangelia alterum alteri veluti adsueret, inque alium ordinem ea, quae in his sunt, digereret, iis additis, quae deerant, aliquibus vero praetermissis.

69 Profecto similitudo huius ac priorum evangeliorum, quamquam ea sit, quo argumento vincamus nota haec Lucae fuisse, non tamen tanta est, quae sinat nos suspicari eum illud dumtaxat agere voluisse, duoque haec evangelia in unum cogere, non autem tertium evangelium aliud his duobus exarare.

70 Cumprimis notare subit stili discrepantiam. Nemo profecto sermones semiticos edoctus non intelligit Lucam quoque non raro *συριζειν*. Quid enim aliud, quam hominem sermone semitico assuefactum arguunt, tum genus illud loquendi veluti dissolutum, brevibusque enuntiationibus distinctum, quale est in libris prioris foederis, tum usus frequentissimus coniunctionis *και et*, non alius quam coniunctionis ו in linguis semiticis, qua videlicet una coniunctione frequentissime repetita enuntiationum series connectitur, tum casus patrius pronominum primitivorum pro possessivis pronominibus vix unquam non adhibitus, quod item linguarum semiticarum proprium est, tum pronomen *αὐτος ipse* variatis casibus quam saepissime occurrens, prorsus ut ea, quae in linguis praedictis *suffixa* vocantur, tum initium factum narrationibus verbo *ἐγενετο δε factum est autem* absque alia orationis parte, quae cum eo construatur, qua in re nemo non agnoscit hebraicum ויהי, aut aramaica והוה, הוא, ut cetera de genere hoc, quae minus late patent, praeteream.

71 Attamen longe comptior, aut procul dubio multo minus incompta, graeca Lucae dictio est, quam ceterorum evangelistarum. Is enim, inquit Hieronymus, *inter omnes evangelistas eruditissimus fuit, quippe ut medicus* [13]), eumque *tradunt veteres ecclesiae tractatores medicinae artis fuisse*

---

[1]) Matthaeus XII, 25—45. [2]) Luc. XI, 17—32. [3]) Matth. ib. 46. [4]) Luc. VIII, 19 coll. 10—18. [5]) Matth. ib. 47—50. [6]) Luc. ib. 20. 21. [7]) Matth. XIII, 2 seqq. [8]) Ib. 1. [9]) Luc. VIII, 4—15. [10]) Luc. VIII, 19 coll. 9—18. [11]) Marc. IV, 10. [12]) Lib. II. Adnot. n. XVII. [13]) Ad Damas. ep. XX al. CXLV. § 4.

scientissimum, et graecas literas magis scisse quam hebraeas [1]), tametsi fortasse non magis quam syriacas. Et re vera, ut nihil dicam de exordio plane eleganto atque attico [2]), considera, ut eorum, quae linguam aramaicam sapiunt, multo plura inveniantur in Christi verbis, quae refert, quam in narrationibus, quas ipse contexit; in his enim, ut alias (44) animadvertimus, ipsemet loquitur, in illis vero referendis cavere volens, sic enim iure creditur, ne loquentium verba immutaret, sed ipsissima, quantum fieri poterat, exprimeret, ea descripsit plerumque, qualia repererat in Matthaeo vel Marco, aut ab apostolis ceterisque Christi discipulis patria Iudaeis acceperat. Vix deprehendere est in hoc evangelio quidquam ex illis, quae notavimus in evangelio Matthaei [3]), tametsi semel, quum Marci verba transcribebat, admiserit Lucas [4]) illud omnino *σόλοικον*, quod in Marco non semel deprehendimus [5]). Adverbia *tunc*, *statim*, illud a Matthaeo, istud a Marco quam saepissime repetita, apud Lucam non fere reperias, nisi ubi opus est; raro antem illud *Amen dico vobis* aliorum evangelistarum, quod Lucas vel omittit, vel pro eo alia vocabula usurpare solet, sicut Luc. IV, 25; VII, 28; IX, 27; X, 24; XI, 51; XII, 44; XXI, 3. Ad haec, ubi Matthaeus aut Marcus alicuius dicta ita referunt, ut ipsum hunc ea loquentem inducant, quod plerumque faciunt, is quippe mos fere constans fuit scriptoribus hebraeis, syris, chaldaeis, Lucas subinde ipsement narrat, quid ille dixerit. Compara, quae infra indicata sunt.

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
V	„	14	VIII	„	4	I	„	44
VII	„	3	„	„	6			
VIII	„	29				V	„	8
„	„	30				„	„	9
„	„	32	„	„	31. 32	„	„	12
„	„	41. 42	IX	„	18	„	„	23
IX	„	2	X	„	7			
XX	„	7	XXI	„	27	XI	„	33
XXI	„	5				XIII	„	1
XXII	„	4	XXVI	„	14. 15			
„	„	23	„	„	22	XIV	„	19
XXIII	„	23	XXVII	„	23	XV	„	14

Genus illud sublimioris dictionis Hebraeis usitatum, quo duo plurave sententiae unius membra aut ipsae etiam sententiae alterae alteris quasi demensae et pares respondent [6]), frequenter ac perquam manifeste sese prodit in Christi orationibus a Matthaeo relatis, subinde et in iis, quas ex Matthaeo Lucas descripsit (39): Luc. V, 31. 32; VI, 27. 28; IX, 24. 25. 58; X, 2. 21. 22; XI, 9, 10; XII, 22. 23; XVI, 13, atque adeo in quibusdam illorum, quos Lucas unus retulit, aliquid tale apparet, tametsi minus aperte aut intra exiguum verborum ambitum: Luc. VI, 24—26 coll. 20—22. 44; XII, 47—48. 52. 53; XIV, 8—10; XXIII, 29. 30; attamen, quum apud Matthaeum genus istud dicendi amplius luxurietur, quam ut auribus insuetis gratum accidere queat, Lucas illud temperat, quaedam resecans, verbaque vel immutans vel alia ratione disponens, ut factum videre est in his, quae subiungimus.

LUCAS			MATTHAEUS			LUCAS			MATTHAEUS		
VI	„	47—49	VII	„	24—27	XII	„	33	VI	„	19. 20
X	„	6	X	„	13	„	„	34	„	„	21
XI	„	34	VI	„	22. 23	XIII	„	24	VII	„	13. 14
XII	„	8. 9	X	„	32. 33						

[1]) In Is. VI, 10. [2]) Lege Lib. III. Diss. I. n. 1. [3]) Cap. I. n. 38. [4]) Luc. III, 16 coll. Marc. I, 7. [5]) Cap. II, n. 1.
[6]) *Patrit.* De interpretat. scriptur. sacr. L. I. nn. 178 seqq.

Huc illud etiam pertinet, quod in exscribendis iis, quae tum apud Matthaeum tum apud Marcum leguntur, aliis tamen verbis expressa, Lucas longe saepius loquutionem a Marco omnino aut ex parte mutuatur, quam a Matthaeo, etiam ubi nulla ratio apparet, cur huic illum anteferret, imo et ubi ipsum pro suo instituto contra facere oportuisset, uti quum in capite III, 16 quiddam *σολοικον* exscripsit ex Marci I, 7, quod vitasset transcribens potius Matthaei III, 11, item quum in capite XX, 30. 31, brevitatis, cui ceteroquin studet, paulisper oblitus, *μακρολογει*, quippe quia ea, quae refert, ex Marci XII, 21, accepit, non ex Matthaei XXII, 26, ex hac enim re intelligimus Lucam frequentius in Marci, quam in Matthaei, exemplaria coniecisse oculos, idque, ut credere est, quia subinde Marci loquutio aliquantulum comptior est, quam Matthaei, saltem minus *συριζει*.

Haec sunt, in quibus Lucas Matthaeum potius quam Marcum exscripsit:

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
V	„	12	VIII	„	2	I	„	40
VI	„	10	XII	„	13	III	„	5
XVIII	„	15	XIX	„	13	X	„	13
XX	„	6	XXI	„	26	XI	„	32
„	„	15	„	„	39	XII	„	8
XXII	„	61. 62	XXVI	„	75	XIV	„	72

In quibus autem potius Marcum, haec:

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
III	„	4	III	„	3	I	„	2
„	„	16	„	„	11	„	„	7
„	„	22	„	„	16	„	„	10
IV	„	44	IV	„	23	„	„	39
V	„	14	VIII	„	4	„	„	44
„	„	22	IX	„	4	II	„	8
„	„	37. 38	„	„	17	„	„	22
VI	„	5	XII	„	8	„	„	28
VIII	„	28	VIII	„	29	V	„	6. 7
„	„	34. 35	„	„	33. 34	„	„	14. 15
IX	„	22	XVI	„	21	VIII	„	31
XVIII	„	16	XIX	„	14	X	„	14
„	„	19—22	„	„	17—21	„	„	18—21
„	„	24	„	„	23	„	„	23
„	„	26	„	„	25	„	„	26
„	„	39	XX	„	31	„	„	48
XIX	„	30. 31	XXI	„	2. 3	XI	„	2. 3
XX	„	4. 5	„	„	25	„	„	30. 31
„	„	14	„	„	38	XII	„	7
„	„	15. 16	„	„	40. 41	„	„	9
„	„	19	„	„	46	„	„	12
„	„	21	XXII	„	16	„	„	14
„	„	27. 28	„	„	23. 24	„	„	18. 19
„	„	30. 31	„	„	26	„	„	21. 22
„	„	33	„	„	28	„	„	23
„	„	46. 47	XXIII	„	6. 7. 14	„	„	38—40
XXI	„	7. 8	XXIV	„	3—5	XIII	„	4—6
„	„	17	„	„	9	„	„	13
XXII	„	13	XXVI	„	19	XIV	„	16

Sed ipsum Marci sermonem, nedum Matthaei, Lucas interdum emendat, aut aliquantulum expolit, quod tamen is solum perspiciet, qui utriusque sermonis, graeci atque aramaici, formas dignoscere valet, eoque, quae infra sunt, attente comparaverit.

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
III	„	13	III	„	11	I	„	8
„	„	21. 22	„	„	16. 17	„	„	10. 11
IV	„	5	IV	„	8	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	33	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	„	„	23
„	„	37	„	„	24	„	„	28
„	„	38—40	VIII	„	14—16	„	„	29—32. 34
„	„	42	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	„	„	35
V	„	14	„	„	4	„	„	44
„	„	21	IX	„	3	II	„	6. 7
„	„	24	„	„	6	„	„	10. 11
„	„	25				„	„	12
„	„	29	„	„	10	„	„	15
VI	„	42	VII	„	4. 5	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	47—49	„	„	24—27	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
VII	„	8	VIII	„	9	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	19	XI	„	2. 3	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	22	„	„	5	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	25	„	„	8	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	32	„	„	16	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
VIII	„	7	XIII	„	7	IV	„	7
„	„	10	„	„	11	„	„	11
„	„	12. 13	„	„	19. 20	„	„	15. 16
„	„	23	VIII	„	24	„	„	37
„	„	25	„	„	27	„	„	40
„	„	32—34	„	„	30—33	V	„	11—14
„	„	35				„	„	14. 15
„	„	36	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	„	„	16
„	„	42				„	„	24
„	„	44—45	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	„	„	29—31
„	„	49	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .	„	„	35
IX	„	4	X	„	11	VI	„	10
„	„	5	„	„	14	„	„	11
„	„	12	XIV	„	15	„	„	35. 36
„	„	14				„	„	39
„	„	16. 17	„	„	19. 20	„	„	41. 43
„	„	25	XVI	„	26	VIII	„	36
„	„	59	VIII	„	21	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
XI	„	24	XII	„	43. 44	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	34	VI	„	22. 23	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	39	XXIII	„	25	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
XII	„	9	X	„	33	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
„	„	58	V	„	25	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
XIII	„	34. 35	XXIII	„	37—39	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
XVII	„	2	XVIII	„	6	IX	„	42
„	„	26. 27	XXIV	„	37—39	. . . . . .	. . . . . .	. . . . . .
XVIII	„	18	XIX	„	16	X	„	17
„	„	23	„	„	22	„	„	22
„	„	32. 33	XX	„	19	„	„	33. 34

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
XVIII	„	40	XX	„	32	X	„	49
XIX	„	30	XXI	„	2	XI	„	2
„	„	35	„	„	7	„	„	7
XX	„	6	„	„	26	„	„	32
„	„	15	„	„	39	XII	„	8
„	„	27—31	XXII	„	23—26	„	„	18—22
„	„	41				„	„	35
„	„	44	„	„	45	„	„	37
„	„	45	XXIII	„	1	„	„	38
„	„	46. 47				„	„	38—40
XXI	„	4	. . . . .	. . . . .	. . . . .	„	„	44
„	„	27	XXIV	„	30	XIII	„	26
XXII	„	10. 11	XXVI	„	18	XIV	„	13. 14
„	„	53	„	„	55	„	„	49

Hactenus de stilo.

72 Pro comperto autem et illud habemus, voluisse Lucam vitae Christi historiam pleniorem prioribus nobis tradere, ita tamen, ut simul brevitati, quantum fieri poterat, studeret.

73 Horum primum nos edocent, non ea modo sive facta sive dicta, quae ipse unus literis integra consignavit: Luc. I. II. IV, 15—30; V, 1—11; VII, 11—17. 36—50; VIII, 1—3; IX, 51—56. 61. 62; X, 1. 17—20. 25—42; XI, 27. 28. 37. 38. 45. 53. 54; XII. 13—21; XIII, 1—17. 22—26. 31—33; XIV, 1—24; XV, 1—3. 11—32; XVI, 1—12. 14. 15. 19—31; XVII, 4—22; XVIII, 1—14; XIX, 1—28. 41—44; XXI, 37. 38; XXII, 24—32. 35—38. 43. 44; XXIII, 4—16. 27—32. 40—43; XXIV, 13—49, sed ea quoque, quae addit narrationibus sermonibusque ex Matthaei aut Marci evangelio descriptis quasi horum complementa:

LUCAS			MATTHAEUS			LUCAS			MATTHAEUS		
III	„	5. 6	III	„	3	XX	„	36	XXII	„	30
„	„	10—15	„	„	10	„	„	38—40	„	„	32
IV	„	10	IV	„	6	XXI	„	11	XXIV	„	7
V	„	39	IX	„	17	„	„	18	„	„	9
VI	„	24—26	V	„	12	„	„	22	„	„	18
„	„	33. 34	„	„	47	„	„	23. 24	„	„	19
„	„	38	VII	„	1	„	„	25. 26	„	„	29
VII	„	10	VIII	„	13	„	„	28	„	„	30
„	„	29. 30	XI	„	12	„	„	34—36	„	„	35
IX	„	31. 32	XVII	„	3	XXII	„	15—17	XXVI	„	20
X	„	11	X	„	14	„	„	22	„	„	21
XI	„	40. 41	XXIII	„	26	„	„	48	„	„	50
XII	„	32	VI	„	33	„	„	49	„	„	51
„	„	35—38	„	„	21	„	„	51	„	„	54
„	„	41	XXIV	„	44	„	„	53	„	„	55
„	„	47—50	„	„	51	„	„	61	„	„	74
„	„	57	XVI	„	3	„	„	22	„	„	23
XIV	„	28—33	X	„	38	„	„	32	„	„	32
XVII	„	25	XXIV	„	27	„	„	36—38	„	„	43
„	„	28—30	„	„	39	„	„	46	„	„	50
„	„	32	„	„	18	„	„	48	„	„	54
„	„	34	„	„	40. 41	„	„	56	„	„	61
XIX	„	39. 40	XXI	„	9	XXIV	„	5—12	XXVIII	„	8
XX	„	26	XXII	„	22						

LUCAS			MARCUS			LUCAS			MARCUS		
VIII	„	40	V	„	21	XXI	„	8	XIII	„	6
„	„	46	„	„	32	XXII	„	19	XIV	„	22
„	„	50. 51	„	„	36. 37	XXIII	„	2	XV	„	3
XVIII	„	34	X	„	34	XXIV	„	3. 4	XVI	„	5
„	„	36. 37	„	„	47	„	„	50	„	„	19
XX	„	16	XII	„	9	„	„	52. 53	„	„	20

atque etiam adiuncta rerum, personarum, temporum, locorum, eaque insuper, quae ubi opus est, addit declarationis et explicationis gratia, quorum nonnulla superius (49. 50) indicavimus, alia infra indicata habes.

LUCAS			MATTHAEUS			LUCAS			MATTHAEUS		
III	„	1. 2	III	„	1	XVIII	„	18	XIX	„	16
„	„	23	„	„	17	„	„	24	„	„	23
V	„	28	IX	„	9	XIX	„	37	XXI	„	8
VI	„	1	XII	„	1	XX	„	1	„	„	23
„	„	6	„	„	9. 10	„	„	20	XXII	„	15
VIII	„	5	XIII	„	4	XXII	„	3	XXVI	„	14
„	„	37	VIII	„	34	„	„	40	„	„	36
IX	„	23	XVI	„	24	„	„	41	„	„	39
„	„	28	XVII	„	1	„	„	50	„	„	51
„	„	33. 34	„	„	4. 5	„	„	52	„	„	55
„	„	37	„	„	14	„	„	59	„	„	73
XVII	„	36	XXIV	„	28	XXIII	„	23	XXVII	„	23
XVIII	„	16	XIX	„	14	„	„	45	„	„	45

LUCAS			MARCUS			LUCAS			MARCUS		
IV	„	33	I	„	23	IX	„	6	VI	„	12
„	„	35	„	„	26	„	„	9	„	„	16
„	„	42	„	„	35	XVIII	„	43	X	„	52
V	„	16	„	„	45	XIX	„	47. 48	XI	„	18
„	„	17	II	„	1. 2	XX	„	19	XII	„	12
VI	„	8	III	„	3	XXII	„	1	XIV	„	1
„	„	12. 13	„	„	13	„	„	8	„	„	13
VIII	„	45	V	„	31	XXIV	„	1	XVI	„	1
„	„	55. 56	„	„	42						

74 Alterum quoque, ut, inquam, Lucas brevitati studuerit, facile apparet. Nam, quum aliquid ex prioribus evangeliis transfert in suum, verba non raro compendii facit, ipsasque narrationes nonnumquam in breve cogit, ut

LUCAS			MATTHAEUS			MARCUS		
III	„	21	III	„	13—16	I	„	9. 10
IV	„	32				„	„	22
„	„	40	. . . . . .			„	„	32
„	„	43				„	„	38
VIII	„	6	XIII	„	5. 6	IV	„	5. 6
„	„	8	„	„	8	„	„	8
„	„	10	„	„	11—13	„	„	11. 12
„	„	12—14	„	„	19—22	„	„	15—19
„	„	23. 24	VIII	„	24—26	„	„	37—39
„	„	32. 33	„	„	30—32	V	„	11—13
„	„	42. 43	IX	„	18—20	„	„	23—26
„	„	51—54	. . . . . .			„	„	37—40
IX	„	1	X	„	1	. . . . . .		
„	„	6				V	„	12. 13
„	„	11	XIV	„	13	„	„	33
„	„	14. 15	. . . . . .			„	„	39. 40
„	„	23	XVI	„	24	VIII	„	34
„	„	25	„	„	26	„	„	36
„	„	29	XVII	„	2	IX	„	1. 2
„	„	36	„	„	8	„	„	8
XI	„	30	XII	„	40			
XII	„	10	„	„	32	III	„	29
XVI	„	18	XIX	„	3—9	X	„	2—12
XVIII	„	27	„	„	26	„	„	27
„	„	29. 30	„	„	29	„	„	29. 30
XX	„	9	XXI	„	3	XII	„	1
„	„	21	XXII	„	16	„	„	14
„	„	24	„	„	19. 20	„	„	15. 16
XXI	„	1—4				„	„	41—44
„	„	8	XXIV	„	4	XIII	„	5
„	„	25	„	„	29	„	„	24
XXII	„	2	XXVI	„	3—5	XIV	„	1. 2
„	„	13	. . . . . .			„	„	16
„	„	22	„	„	24	„	„	21

Plurima facta praeterit, neque illa tantummodo, quae intelligimus ab eo praeteriri ideo, quia aliis scriberet quam Iudaeis (47. 49. 51. 52), aut quia non satis manifesto conducerent ad id consilii, quod animo intendebat (79), sed et illa, in quibus Christo, cuius unius res gestas scribere instituerat, vel nullae, aut vix ullae, procul dubio non primae, partes fuere, ut Matth. XIV, 5—12; XVIII, 21; XXVI, 23. 25; XXVII, 3—10. 19; XXVIII, 7; Marc. XII, 32—34; XIV, 51. 52; XVI, 3. 10. 11, nullumque est praeceptum aut verbum a Christo prolatum, ut Matth. II, 13—15. 19—23; item plurima illorum, quorum narratio ad aliorum magis, quam ad unius Christi, peculiarem historiam, aut etiam ad eorum laudem vel dedecus, proprie spectaret, praesertim autem illa, e quibus documenta virtutum aperte verbis expressa capere non est, ut Matth. II, 1—12. 16—18; IV, 18—22; V, 13. 14; XIV, 22—23; XVI, 17—19. 22. 23; XVII, 23—26; XVIII, 18. 21; XX, 20—24; XXVI, 6—13; XXVI, 32 coll. XXVIII, 7. 10. 16; XXVI, 37. 42—46; XXVII, 56; XXVIII, 7. 10. 16. coll. XXVI, 32; XXVIII, 17. Marc. III, 21; XXI, 20. Insuper tum facta tum dicta bene multa, itemque orationes atque parabolas, praetermittit, utpote similia aliorum, quae vel ipse primus retulit, vel exscripsit ex Matthaeo aut ex Marco, quod videre est in subiecta tabella:

OMISSA MATTHAEUS			SIMILIA LUCAS			OMISSA MATTHAEUS			SIMILIA LUCAS		
I	„	18—25	I	„	26—38	XVIII	„	15	XVII	„	3
V	„	4	VI	„	27—35	„	„	19. 20	XI	„	9. 10. 13
„	„	6	„	„	21	„	„	21. 22	XVII	„	3. 4
„	„	„	XII	„	31	XIX	„	3—9	XVI	„	18
„	„	7	VI	„	36	„	„	28	XXII	„	28—30
„	„	„	XIV	„	14	„	„	30	XIII	„	30
„	„	10	VI	„	22. 23	XX	„	25—28	XXII	„	25—27
IX	„	14—17	V	„	33—38	XXI	„	22	XI	„	9. 10
„	„	27—31	XVIII	„	35—43	XXII	„	1—10	XIV	„	16—24
„	„	32—34	XI	„	14. 15	„	„	34—40	X	„	25—28
X	„	17—20	XII	„	11. 12	„	„	46	XX	„	40
„	„	37. 38	XIV	„	26. 27	XXIV	„	23	XVII	„	23
„	„	39	IX	„	14	„	„	28	„	„	37
„	„	40	X	„	16	XXV	„	14—30	XIX	„	12—28
XII	„	11. 12	XIV	„	5	XXVI	„	21. 22	XXII	„	21—23
„	„	46—50	VIII	„	19—21	„	„	31	„	„	31
XIII	„	54—58	IV	„	16. 22—24	„	„	33—35	„	„	33. 34
XV	„	30—39	IX	„	11—17	„	„	38—40	„	„	40. 43. 44
XVI	„	1—4	XI	„	29. 30	„	„	59—66	„	„	66—71
„	„	„	XII	„	54—56	XXVII	„	26	XXIII	„	16. 25
XVII	„	18. 19	XVII	„	5. 6	„	„	27—31	XXII	„	63—65
XVIII	„	3. 4	IX	„	48	„	„	34	XXIII	„	36
„	„	6. 7	XVII	„	1. 2	XXVIII	„	18	X	„	22
„	„	11	XIX	„	10	„	„	19. 20	XXIV	„	47. 48

OMISSA MARCUS			SIMILIA LUCAS			OMISSA MARCUS			SIMILIA LUCAS		
III	„	7—12	VI	„	17—19	VIII	„	22—26	XVIII	„	35—43
IV	„	26—29	XIII	„	19	XVI	„	17. 18	IX	„	1
VII	„	32—37	XI	„	14	„	„	„	X	„	19

Inter quae referre etiam oportet qoasdam parabolas atque imagines a Matthaeo literis consignatas, quarum etsi Locas similes non habeat, eas tamen omisit, quum habeat alias, quae eodem omnino pertinent, aut saltem ea Christi effata seutentiasque, qoibos absque ullis verborum immutationibos figurisve illod ipsom aperte docemur, quod parabolis illis atque imaginibus: Matth. XXV, 1—13 et Luc. XII, 35—48 et XIII, 25; Matth. XIII, 44—46 et Luc. XVIII, 22, deque harum numero etiam est in Matth. XXV, 31—46 imago illa postremi iudicii, quod faciet Christus de beneficentia ac misericordia hominibus sive impertita sive denegata, qoam imaginem Locas videtur propterea missam fecisse, quia alia sunt eaqoe non pauca in ipsius evangelio, ut Luc. III, 11; VI, 9. 27—38; XI, 41; XII, 33; XIV, 13. 14; XVI, 9; XVII, 3. 4; XVIII, 22, interque haec etiam parabolae, ut Loc. X, 29—37; XVI, 1—8 coll. 9; 19—31, qoibus Christus ad harum virtutum exercitationem nos hortatur. His et illa addenda, qoae Matthaeos pluries, Marcos non semel, sed generatim atqoe universe commemorant, ot Christus diversas regiones peragraret, ut populi magno oumero eom sequerentur, ut hos ipse doceret, iuque horum gratiam prodigia ederet, ut hinc admiratio excitaretur, deque eo fama late manaret: Matth. IV, 23—25; IX, 26. 35; XII, 15; XIV, 34—36; XV, 29—31; XIX, 2; XXI, 14; Marc. II, 13; III, 20; VI, 31, nam haec quoqoe Lucas omittit. Sed et pleraque veluti resecat eorum, qoae apud Matthaeum aot Marcom reperiuntur adhibita ad orationis materiem amplificandam exornandamqoe, aliove modo ea sive facta sive dicta, quae ceteroquin satis perspicua

sunt, illustranda magis atque explicanda: Matth. V, 16. 29. 30; VI, 14. 15; X, 21. 22. 25. 36. 41; XII, 48. 49; XVIII, 8. 9; XXVII, 12. 14. 17. 18. 36. 40. 41. 43. 56; Marc. I. 43; III, 23. 30. 34.

75 Quod si quis illud mihi opponat, qui fieri potuerit, ut Lucas, qui, ut diximus (73), pleniorem Christi historiam nobis tradere voluit, haec tamen omnia praeteriret, e contra autem, etsi brevitati studeret, tam multa tamen referret a Matthaeo atque a Marco praeterita, atque adeo illa quae ad alios, quam ad Christum, pertinent, pleniusque, quam Matthaeus et Marcus, nonnulla describeret, facile id diluetur, si positum sit, quod superius (38—45) probavimus, Lucae priora evangelia plane nota fuisse; quae enim in his deesse comperiebat, adiecit, ut plenior fierit historia, ne vero longior evaderet, quam opus erat, ex iis, quae legerat apud Matthaeum et Marcum, illa quae diximus (74), atque alia, quae dicemus (79), praetermisit, utpote quae, quum illi iam literis consignassent, ut denuo ipse referret, nec modus operi praestitutus, neque propositi sui ratio, postulabat. Ceterum hinc novum argumentum exstat, quo confirmemus notum fuisse Lucae utrumque evangelium, Matthaei et Marci, atque utroque, quum scriberet, eum usum esse (45).

76 Exposuimus ea, quae ipsum opus attingunt a Luca susceptum perfectumque; nunc, quo consilio seu quorsum illud susceperit, restat exponendum. Id ipse aperte professus est ita alloquens Theophilum: *Visum est . . . ex ordine tibi scribere, . . . ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem* [1]); scilicet huius rei argumenta praebent tum ii, quibus scripsit, tum opus, quod confecit. Itaque Lucas evangelium edidit ad eum finem, ut Christi historiam plenius atque ordine, huiusque praecepta vivendi, eos gentes, pro eo ac opus habebant, doceret, quae recens in Christianos nomen dederant. Quod ad primum attinet, id est, ad historiam Christi, iam satis dictum est; quare tantum de altero dicere restat.

77 Christus κηρύγματι suoque muneri fungendo initium fecit post illos quadraginta dies, quibus ieiunium servavit; deinceps ea gessit, quae in prioribus capitibus leguntur evangelii Ioannis [2]), tum ea, quae ceteri retulere in evangelia. Attamen primum, quod Christus iam munere suo fungens gessisse narratur a Luca, est, ut verba fecerit in ipsa patria, suisque popularibus annuntiaverit divinum opus, ad quod efficiendum a Deo missus advenerat [3]). Continuo illud legitur, quod *omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius* [4]); e contra Christus mox talia subiunxit, quibus, sicut Nazarethani probe intellexerunt [5]), apparet praedixisse suum munus suamque doctrinam, non tam Israelitis, quam ceteris gentibus profuturum [6]). Quorsum autem Lucas hinc exorsus putetur, nisi ut ipso historiae suae initio gentium ceterarum, quibus scribebat, mentem animumque magis ac magis Christo conciliaret, adque huius legum praeceptorumque amorem ac studium excitaret, alliceretque?

78 Huc item spectare totum librum manifestum est, adeo, ut Lucas dicendus sit imitatus esse suum ἐργοδιώκτην, Paulum, inquam, prudentemque huius οἰκονομίαν, qui, qua ratione recentes Christianos institueret, ipse nos docuit, quum ad eos haec scripsit: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis* [7]); apud Lucam enim, non tam ea, quae credere, haec enim illis viva voce tradebantur, quum quae agere oportet, exponi videas, momentaque ad bene vivendum ea afferri plerumque, quae sunt in amore virtutum, raro, quae in poenae formidine. Rem sic se habere facile demonstramus.

79 Primo quidem ratio, quam hinc petere est, eaque plane manifesta, cur Lucas quaedam inter plura omiserit de illis, quae in prioribus evangeliis leguntur, ostendit id eum consilii cepisse, quod dicimus. Eum enim ob rem praeteriisse iure creditur tum nonnulla, quae vel apostolos eusque, quorum officium est alios docere, magis attingunt, quam vulgus Christianorum: Matth. V, 19; XIII, 52; XVI, 17—19; XVII, 18, 20; XVIII, 18; XXVIII, 20, tum mysteria resque alias religiosa fide credendas: Matth. XVI, 17—19; XVII, 10. 11; XVIII, 10. 18; XXIV, 30. 31; XXVIII, 19; item quaedam vel plane obscura: Matth. X, 23; XXIV, 22. 36, vel quae accuratiore explanatione omnino indigent: Matth. V, 29. 30; VII, 6; XVIII, 8. 9. 19. 20; XIX, 10—12; Marc. IV, 26—29; vel demum quae terrori incutiendo opportuniora sunt, ut parabolae de zizaniis Matth. XIII, 24—30. 36—43, deque sagena missa in mare Ib. 47—51; atque altera pars parabolae de regia coena Ib. XXII, 11—14; qua etiam de caussa omissam fuisse credere est descriptionem postremi iudicii Ib. XXV, 31—46.

---

1) Luc. I, 3. 4. 2) Io. I, 29 — IV, 54. Lege Lib. III. Diss. XXXIX. n. 17. 3) Luc. IV, 16—21. 4) Ib. 22. 5) Ib. 28. 29. 6) Ib. 23—27. 7) 1 Cor. III, 1. 2.

80 Quod si ea consideres, quae Lucas a Matthaeo accepit, inque suum evangelium transtulit, sive ea quae ipse primus retulit, nihil inter haec reperias, quod vel suspicari sinat aliud ipsi consilium fuisse, quam quod defendimus; nihil, inquam, est ea inter alio spectans, quam vel ad historiam supplendam, vel ad doctrinam institutionemque unis Christianis, praesertim in horum numerum recens adscriptis, accomodatam. Cui rei comprobandae satis sit argumentum, quod suggerunt parabolae atque imagines in hoc evangelio descriptae. In his enim est de gentibus ceteris in Israelitarum locum subrogatis: Luc. XIV, 15—24; XIX, 12—27 coll. 11; XX, 9—16 collat. 17—19, de ritibus atque institutis Iudaeorum inter Christianos minime inferendis: Ib. V, 36—39 coll. 33, de iis, qui minime attendebant, ut foret iam illud tempus, quum Deus afflicto hominum generi opem salutemque allaturus sperabatur: Ib. XII, 54. 55 coll. 56, vel qui respuebant Christi *κήρυγμα*: Ib. VII, 32 coll. 31. 33. 34, de huius *κηρύγματος* fructu multiplici: Ib. VIII, 5—8 coll. 11—15, de futuris rei christianae incrementis: Ib. XIII, 18—21, de animo, quo ens esse oportet, qui Christum sectari instituunt: Ib. XIV, 28—32 coll. 26. 27. 33, de Christi praeceptis, non audiendis tantummodo, sed exsequendis: Ib. VI, 47—49, de ratione vitae bene coepta constanter retinenda: Ib. IX, 61 coll. 60. Praeterea hae ad virtutes exercendas impellunt, humilitatem potissimum: Ib. XVIII, 9—14, beneficentiam: Ib. XVI, 1—8 coll. 9—12, misericordiam: Ib. X, 29—37; XVI, 19—31, illae precum necessitatem et efficaciam docent: Ib. XI, 5—8 coll. 9; XVIII, 1—5 coll. 7, tollendam avaritiam, divitias caelestes terrenis praeferendas: Ib. XII, 16—21 coll. 15. Aliae vel certa spe veniae erratis propositae diffidentem animum erigunt: Ib. XIII, 6—9 coll. 5; XV, 3—7. 8—10. 11—32 coll. 2, vel praemia pro mensura recte factorum exspectare iubent: Ib. XIX, 11—28, vel amoris hominum in Deum vim plane miram commonstrant: Ib. VII, 41—43. Aliis praemonemur fore, ut omnia nostra vel occultissima tandem in lucem proferantur: Ib. VIII, 16. 17, aliis vigilandum esse, ne mors imparatos occupet: Ib. XII, 35—39. 42—48 coll. 40, aliis denique, quibus signis intelligamus, *quoniam prope est regnum Dei*: Ib. XXI, 29—31. Sed tempus iam est finem facere huic quaestioni de Lucae evangelio.

CAPUT IV

De evangelio Ioannis.

Iis, quae hactenus de tribus primis evangeliis exposita a me sunt, satis me arbitror praestitisse, quod initio recepi, ne cui dubium videatur, posterioribus evangelistis priorum libros usui fuisse in scribendo, singulis tamen alia atque alia ratione, pro eo ac consilium, quo singuli ducebantur, eorumque, quibus opus suum destinaverant, conditio atque ingenium ferebat atque exigebat; inde autem, nec aliunde, extitisse caussas tum convenientiae tum discrepantiae, quae inter illa tria evangelia esse cernuntur. Operae tamen erit quaestiones aliquot de postremo evangelio quoddam veluti *πάρεργον* his adiicere, quum ex illo quoque materia librorum insequentium petenda mihi sit. Itaque primo evangelii huius *γνησιότητα*, tum auctoritatem a recentibus quibusdem calumniis, attamen paucis, vindicabimus, deinceps, quorsum hoc opus susceperit Ioannes, an post cetera evangelia, quonam denique tempore, edisseremus.

QUAESTIO I

De auctore huius evangelii.

1 Quartum evangelium, quod Ioannis nomine inscriptum est opus esse *γνήσιον*, non modo patribus, quotquot fuerunt, sed vel priscis Christianorum hostibus acerrimis, Celso [1]), Porphyrio [2]), Iuliano apostatae [3]), perspectum adeo fuit atque exploratum, ut nullum vel levissimum indicium aut vestigium ad nostram usque aetatem deprehenderetur, quod fidem faceret ea de re dubitationem cuiquam olim fuisse subortam. Verum haud ita pridem, qui opus hoc Ioanni abiudicatum inter *νενοθευμένα* amandarent, tandem exstitere, hosque enumeratos reperies refutatosque apud Kuin-

---

[1]) Ap. *Origen.* Cont. Cels. L. II. cc. 31. 36. [2]) Ap. *Hieron.* adv. Pelagian. L. II. § 17; *Millium* N. T. Prolegg. §§ 702. 703. [3]) Ex huius Opp.

oelium [1]) atque Hugum [2]). Istorum tamen hominum deliramenta, sic enim voco, non ea sunt, in quibus refellendis immorari iuvet aut vacet, maxime quod plenissimae refutationis loco futura sit simplex expositio nonnullorum argumentorum, quibus Ioani auctori quartum evangelium adiudicandum esse iam demonstramus.

2 Atque illud primo Ioannem hoc evangelium conscripsisse, siquidem res haec comperta iam aliunde una esset, levi tamen negotio ex ipsa libri inspectione cumque ceteris evangeliis comparatione disceremus. Proditur quippe auctor non in una pagina, ubi librum hunc scripsisse dicitur *discipulus ille, quem diligebat Iesus* [3]). Talem patrum testimonio novimus fuisse Ioannem, sed etiam docemur ab aliis novi testamenti scriptoribus. Etenim tres inter ceteros apostolos singulari amore Christum prosequutum esse, ipsosque vicissim Christum esse prosequutos, narrant evangelistae, Petrum, Ioannem, et Iacobum [4]). Tres istos prae ceteris testes quorumdam prodigiorum suorum Christus esse voluit, sive quum socrum Petri sanavit [5]), sive quum filiam Iairi archisynagogi ad vitam revocavit [6]). Tribus istis solummodo gloriam sum majestatemque divinam contemplandam praebuit in monte [7]). Tres isti ad ea spectanda, quae in horto Gethsemani perpessus est, soli admissi ab eo sunt [8]). Petro et Ioanni cura demandata parandi pascha illud supremum, quod Christus *desiderio desideravit manducare antequam pateretur* [9]), quod tot tamque grandibus mysteriis refertum fuit, et in quo *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit* [10]) eucharistia instituta [11]). Tres isti in honore Christi adserendo ferventiores acrioresque sese non semel exhibuerunt [12]). Ex mutuo hoc Christi atque trium istorum amore, confidentia illa exorta, qua secretiora quaedam ab eo aut sciscitarentur [13]), aut audacius sibi flagitarent [14]). Haec eadem amoris praestantia in caussa fuisse putanda est, cur in apostolorum albo tres illi omnium primi inscribantur [15]); quod vero Matthaeus [16]), et Lucas [17]) Andream post Petrum et ante duos illos alios continuo nominat, ideo id factum est, quia, quum Petri fratrem Andream dicere vellent, opportunius fratri is conjungeretur. Alia quoque praeter hanc caussa fortasse est, quam te docebit Mazochius [18]). Denique credere est eadem illa de caussa primas eos egisse in ecclesia, ut narrat Paulus apostolus [19]), qui tamen commemorat Iacobum *fratrem Domini*, non vero fratrem Ioannis, utpote aliquot ante annis necatum. Quare *discipulus, quem diligebat Iesus*, in evangelio hoc memoratus unus ex illis tribus sit oportet.

3 At Petrus esse is nequit, quum pluries unum ab altero aperte scriptor distinguat [20]). Sed neque Iacobus, quippe qui sub pascha [21]) anni U. C. DCCXCV aerae vulgaris XLII [22]), id est, anno decimo tertio, postquam Christus in caelum ascenderat, ab Herode Agrippa sublatus fuerat, quo tempore hoc evangelium nondum editum esse potuisse intelliges ex iis, quae inferius de eius aetate quaeremus (31 seqq.). Ergo *discipulus, quem diligebat Iesus* atque adeo huius evangelii auctor nemo alius esse potuit, nisi Ioannes. Et re vera, sicut ceteri evangelistae mutuum Christi et Ioannis amorem nos docent, ita et in hoc evangelio plura tenerrimi amoris signa discipulo illi huius ipsius evangelii scriptori a Christo praebita legimus [23]), itemque ea, quae indicio sunt, quantum amorem Christo discipulus ille vicissim rependeret [24]). Quare si hic alius esset, quam Ioannes, qui fieri potuisset, ut vel ceteri evangelistae numquam commemorarent alium huac discipulum Christo tam dilectum, vel discipulus iste huius evangelii scriptor, qui Petri quidem longe saepius meminit, quam ceteri evangelista, nec semel saltem Ioannem nominaret, qui in aliis evangeliis vix non primas agit? Quid incompertum hoc foret; at statim comperias, ubi hunc discipulum ipsum Ioannem esse dixeris.

4 Sed et alia argumenta ad hoc idem confirmandum ex eodem hoc evangelio praeterea depromere est. Neque enim spernenda ea sunt, quae indicio sunt huius scriptorem artem piscatoriam et nauticam exercuisse, quam exercuisse Ioannem legimus in aliis evangeliis [25]). Hanc enim artem callentis est, quod scriptor hic praestat, vel uno oculi ictu litorum distantiam metiri [26]); atque adeo minutatim, ut is facit, atque enucleate describere piscatum habitum in mari Tiberiadis [27]), non modo piscium magnitudinem ac numerum ad unum edicens [28]), verum etiam vel ex qua parte naviculae

---

[1]) Comment. in Io. Prolegg. § 2. [2]) Einleit. in die Schrift. des N. T. II Th. §§. 57—60. [3]) Io. XIX, 35 coll. 26; XXI, 24 coll. 20. 23. [4]) Lege *Chrysostomum* in Matth. hom. XXXII al. XXXIII. § 3. [5]) Marc. I, 29. [6]) Marc. V, 37; Luc. VIII, 51. [7]) Matth. XVII, 1; Marc. IX, 1; Luc. IX, 28. [8]) Matth. XXVI, 37; Marc. XIV, 13. [9]) Luc. XXII, 15. [10]) Conc. Trident. sess. XIII. c. 2. [11]) Luc. XXII. 8. [12]) Quod attinet ad Ioannem lege Marc. IX, 37; Luc. IX, 49. 54. [13]) Marc. XIII, 3; Io. XIII. 23—25; XXI, 21. [14]) Marc. X, 35. [15]) Marc. III. 16. 17; XIII, 3; Act. I, 13. [16]) Matth. X, 23. [17]) Luc. VI, 14. [18]) Spicileg. bibl. ad Matth. X, 2—4. [19]) Gal. II, 9. [20]) Io. XIII, 23 coll. 24; XX, 2; XXI, 7. 20. [21]) Act. XII, 1. 2 coll. 3. 4. [22]) Cap. II, n. 27. [23]) Io. XIII, 23; XIX, 26. 27. [24]) Io. XVIII, 15; XIX, 26; XX, 4 coll. 2; XXI, 7. [25]) Matth. IV, 21; Marc. I, 19; Luc. V, 10 coll. 3—7. [26]) Io. VI, 19; XXI, 8. [27]) Io. XXI, 1—11. [28]) Ib. 11.

rete iactum fuerit [1]), piscatoresque non valuisse in naviculam *illud trahere prae multitudine piscium* [2]), atque ideo post eam traxisse, dum litus peterent [3]); verba vero haec, quibus scriptor veluti mirabundus narrationem claudit: *Et, cum tanti essent, non est scissum rete* [4]), ecquis addidisset, nisi piscator, qui perspectum haberet, quot piscium rete esset capax, quantumque ponderis ferre posset?

5 In prima trium epistolarum Ioannes scriptum quoddam suum commemorat, quod aliud omnino sit oportet ipsa epistola, non ideo solum, quia de illo loquitur tamquam a se iam edito [5]), sed quia illius materiem ait fuisse, non modo quae ipse *audiverat*, sed et quae *viderat, et manibus contrectaverat* [6]), *res* videlicet et *facta*, quum tamen in epistola nil minus, quam istaec reperias, sed solum sententias et documenta, quae nec videntur, nec manibus contrectantur; atque etiam ideo, quia, ubi in epistola sive se *scripsisse* ait, sive *scribere*, eo id pertinere dicit, quo illa, quae ibidem loquitur, pertinere haud videntur. Quid ergo aliud sit illud scriptum nisi aliqua historia, evangelium, inquam, quod Ioannis nomine inscriptum habemus, quodque unius eiusdemque auctoris veluti foetum esse, atque epistola ipsa est, nisi oculis captus sis, agnoscas necesse est? Eumdem quippe σκοπὸν utrique scripto propositum deprehendes, eadem in utroque δόγματα enuntiata, eadem praecepta tradita; eaedem imo sententiae, eadem scriptoris indoles atque animi comparatio, idem stilus, eaedem loquutiones, eadem vocabula, passim utrobique sese exhibent, ut inferius magis distincte ostendemus. Quin et in ipso epistolae initio scribit Ioannes annunciare se, *quod fuit ab initio . . . de Verbo vitae*, quibus in verbis ecquis non agnoscat, non modo materiem ipsam, sed ipsum exordium evangelii: *In principio erat Verbum, . . . in ipso vita erat* [7])? Id iam viderat scriptor quidam vetustissimus, cuius reliquias repertas edidit Muratorius, autumans, falso fortasse, eum esse Caium presbyterum [8]); in illis enim haec legimus: *Quid ergo mirum, si Ioannes tam singula etiam in epistolis proferat dicens de semetipso: Quae vidimus oculis nostris, et auribus audivimus, et manus nostrae palpaverunt, haec scripsimus. Sic enim non solum visorem sed et* SCRIPTOREM *omnium memorabilium Domini . . . se profitetur.* Qui igitur hanc epistolam Ioanni adiudicandam non abnuunt, et evangelium eidem Ioanni adiudicent oportet. Lege Dionysium Alexandrinum [9]).

6 Quod si evangelium istud contuleris cum iis, quae de Ioanne veteres patres memoriae prodiderunt [10]), idem illud concludes. Patres enim narrant eam indolem idque ingenium Ioanni fuisse, quae divinam caritatem spirarent, qualem profecto auctorem huius evangelii plura, quae in eo legimus, nobis repraesentant, sive quod gloriae sibi ducere saepe videatur peculiarem amorem, quo eum Christus prosequebatur, sese non alia appellatione prodens, nisi *discipuli, quem diligebat Iesus* [11]), sive quod amorem, quo ipse Christum vicissim redamabat, vel eo manifestet, quia longe saepius *Iesu* et *Christi* nomina repetit, quam ceteri evangelistae, imo nomen *Iesu* plus duplo, quam Marcus et Lucas simul, sive quod ipse solus frequentius, quam simul ceteri omnes, usurpet verba ἀγαπάω et φιλέω, ita ut et in tribus epistolis Ioannis sane perbrevibus idem verbum ἀγαπάω toties ferme recurrat ac in quatuordecim epistolis Pauli, sive quod res gestas Christi ita narret, ut qui praesens illa adhuc spectaret, quod vehementer amantium proprium esse solet, adeo ut non modo ea quae praeterita sunt, per praesens verbi tempus enuntiet [12]), sed etiam per futurum ea, quae quamvis facta multo ante essent, quum scriberet, futura tamen adhuc erant aetate illa, de qua scribebat [13]), sive denique quod Christi amabilitatem longe plenius, quam ceteri faciunt, legentibus commonstret, eius sermones referendo caelesti suavitate refertos, a quibus omnino absunt tum invectiones, tum minae, quibus Christum usum fuisse alii evangelistae nos docent, ita ut nec semel apud Ioannem legas illud *vae*, quod Christus non raro profert apud Matthaeum, et Lucam. Aliud praeterea argumentum ex ipso exordio evangelii depromptum in alio loco proferemus [14]). Ad haec tradunt scriptores vetustissimi Ioannem apostolis omnibus superstitem ad extremum usque senectutem vixisse, ac sub vitae finem scripsisse evangelium; sed et huius rei indicium non leve comparet in eo evangelio, de quo agimus, ut inferius demonstrabimus (35 seqq.).

7 Pro comperto igitur est non minus rationi quum religioni iniuriosos esse illos e recentioribus Protestantibus, hosque inter Bretschneiderum [15]) potissimum, qui maculam νοθείας evangelio huic inurere non sunt veriti.

---

1) Ib. 6. 2) Ib. 3) Ib. 8. 4) Ib. 11. 5) I Io. II, 14. 21. 26; V, 13. 6) Ib. I, 1. 3. 7) Io. I, 1. 4. 8) Antiquitt. italic. med. aev. T. III. pag. 854. 9) De promiss. adv. Nepot. episc. ap. *Euseb.* H. E. Lib. VII. c. 25. 10) *Tillemont* Memoir. pour servir à l'hist. eccl. T. I *s. Jean.* 11) Io. XIII, 23; XIX, 26; XX, 2; XXI, 7. 20. 12) Io. I, 15. 40; II, 9; V, 13. 14. 15; VI, 61. 64; XX, 9. 15; XXI, 4. 9. 13. 20, frequentissime vero λέγει, ἔρχεται, ἐστι, pro ἔλεγε, ἦλθε, ἦν. 13) Io. VI, 64; XXI, 19. 14) Lib. III. Diss. VIII. n. 30. 15) Probabilia de evangelii et epistolarum Ioannis apostoli indole et origine. Lipsiae 1820.

QUAESTIO II

De huius evangelii auctoritate.

8 Iam vero si Ioannis opus esse hoc evangelium putandum omnino est, ipsum scriptorem habemus testem oculatum rerum, quas narrat, imo unum ex iis testibus, quibus magis, quam ceteris, actiones resque Christi visae ac perspectae fuerunt, ut illa, quae hactenus disseruimus, perspicue demonstrant. Praestat tamen id ipsum ipsa huius evangelii inspectione confirmare.

9 Huius enim rei argumento ea sunt, tum quod passim breves quasdam sive explanationes, sive rationes adhibeat ad narrata illustranda [1]), tum quod adiuncta quaeque vel minutissima sive personarum [2]), sive rerum [3]), sive temporum [4]), sive locorum [5]) designet ac persequatur. Quod vero mirandum prorsus apparet, quamquam humiliore quam ceteri dictione utatur, resque pedestri omnino sermone describat, adeo tamen vivide et pro rerum natura id facit, ut non modo haec plane perspecta habere, sed et his, ut iam animadvertimus (6), veluti praesens adesse, eaque oculis adhuc haurire videatur. Exemplo ea esse possunt, quae narrat de muliere Samaritana [6]), de coeco, cui visum Christus restituit [7]), de Lazaro ad vitam revocato [8]), de Christo apostolorum pedes lavante [9]), de se ipso una cum Petro ad Christi sepulchrum adeunte [10]), de Christo redivivo apostolis tertium viso [11]), de Christi et Petri confabulatione, quam ultimo describit [12]). Qui potuit, sodes, vir rudior, qualem stilus arguit, haec ita, ut fecit Ioannes, describere, ac veluti oculis spectanda proponere, quae non ipse viderit, neo praesens adfuerit, dum ea gererentur? Denique, quod huius evangelii scriptor, ut infra edicemus, sibi potius proposuerit sermones et documenta Christi referre, quam facta resque a Christo gestas, inde etiam argumentum habemus, quo confirmemus scriptorem hunc eorum, quae literis consignavit, testem fuisse, quaeque Christus loquebatur, ipsummet auribus suis excepisse, siquidem consideres tali ratione sermones hosce ab eo referri, ut appareat ἀμέσως e memoria sua depromere, quandoquidem, quum longius hi sermones excurrunt, tum abruptum in iis deprehenditur dicendi genus, iisdem sententiis saepe repetitis, ac deficiente plerumque ordine ac serie discursus; id vero eum omnino prodit, qui humaniore eloquutione destitutus alicuius sermones a se auditos referre memoriter studet.

10 Nulla igitur iam prudens suspicio superesse potest, huius evangelii scriptorem ea, quae literis mandavit, non ipsum vidisse atque audiisse maxima saltem ex parte, aut alium eum esse, quam Ioannem.

QUAESTIO III

Quorsum hoc evangelium conscriptum.

11 Quaerendum modo est, quodnam Ioanni consilium fuerit in evangelio conscribendo. Id autem ex ipsius evangelii lectione accurataque inspectione facile est compertum habere.

12 Etenim, Ioanni nequaquam propositum fuisse historiam vitae Christi contexere, facile coniicias tum ex eo, quod sermones potius et documenta Christi, quam res ab eo gestas, curet, tum etiam ex eo, quod harum rerum partem maximam prorsus omittat, nam eorum, quae ceteri narrant, nihil a Ioanne narratum reperias, nisi quinque hominum millia quinque panibus a Christo refecta [13]), ipsum Christum in mari Tiberiadis ambulantem [14]), eumdem hunc asello vectum Hierosolymam ingredientem [15]), eius cruciatus et necem [16]), duo insuper ex iis, quae facta sunt, postquam is revixit [17]).

---

[1]) Io. II, 24; III, 32—36; IV, 2. 4. 8. 9. 45. 54; V, 4; VI, 6. 64. 71; VII, 39; IX, 22; XI, 2. 13. 30; XII, 4. 6. 21. 37—43; XIII, 2; XIV, 22; XVIII, 2. 5; XIX, 14. 38. 39; XXI, 7. 20. [2]) Io. IV, 6; V, 5; XVIII, 10. 18. 25; XX, 4 seqq. 12; XXI, 7. [3]) Ib. II, 6; III, 23; IV, 54; V, 2; VI, 9. 10. 19. 23; VII, 53; XI, 38. 44; XII. 3; XIII, 4. 5; XVIII, 3. 10; XIX, 13. 41; XX, 5 seqq.; XXI, 8. 11. [4]) Ib. I, 29. 35. 40. 44; II, 1. 12. 13; III, 24; IV, 6. 35. 40. 43; V, 1; VI, 4. 22; VII, 2. 14. 37; VIII, 2; X, 22; XI, 6. 17. 55; XII, 1. 12; XIII. 1. 30; XVIII, 28; XIX, 14; XX, 1. 19. 26; XXI, 4. [5]) Ib. I, 28. 45; II, 1; III, 23; IV, 5; V, 2; VI, 1; VIII, 20; X, 40; XI, 18. 54; XII, 1. 21; XVIII, 1; XIX, 17. 41. [6]) Io. IV, 5 seqq. [7]) Ib. IX, 1 seqq. [8]) Ib. XI, 1 seqq. [9]) Ib. XIII, 4 seqq. [10]) Ib. XX, 2 seqq. [11]) Ib. XXI, 1 seqq. coll. 14. [12]) Ib. 15 seqq. [13]) Ib. VI, 5 seqq. [14]) Ib. 16 seqq. [15]) Io. XII, 12 seqq. [16]) Io. XVIII. XIX. [17]) Ib. XX, 1—13. 19—23.

Nihil autem narrat de ortu Christi, nihil de eius sive infantia, sive pueritia, sive adolescentia; imo Christum tamquam ex improviso comparere in media narratione [1]), et ex improviso disparere videas [2]); quid autem prius, quid postea ei factum sit, Ioannem frustra interroges.

13 Neque levioris momenti ea sunt, ex quibus efficitur Ioannem aliis, quam Iudaeis, librum suum destinasse. In hoc enim nullam reperias ex Christi parabolis, cuius sermonis genere Iudaei mirifice delectabantur, et quarum perplurimas congessit praesertim Matthaeus, qui Iudaeis scripsit, nullam ex acrioribus illis invectionibus, quibus Christus Iudaeos, Pharisaeos autem potissimum, impetere solebat, praeter unam aut alteram, eamque leniorem omnino ac mitiorem, peculiari quadam de caussa, quam postea edicemus (17), a Ioanne relatam, nullam scribarum mentionem nisi semel [3]), nullum item, nisi semel aut iterum, mentionem Davidis, ab iis tamen iniectam, quorum verba referuntur [4]), non vero ab ipso scriptore, quum tamen et Davidis et scribarum in aliis evangeliis crebra mentio sit. Contra reperias voces Iudaeis notissimas [5]), imo ipsum nomen *Messiam* [6]), graeco vocabulo apposito explicatas, loca Judaeae atque adeo Hierosolymae, tamquam si legentibus ignota forent, diligenter definita (9), Iudaeorum consuetudines ad narrationem illustrandam commemoratas [7]), Praeterea de suis popularibus de Iudaeis, inquam, Ioannem loqui videas non secus, ac de gente lectoribus suis extranea; ubi enim alii evangelistae usi fuissent, ut solent, vocabulis *ὁ λαος*, *οἱ ὀχλοι*, *το πληθος*, Ioannes dixit *οἱ Ἰουδαιοι*, quod nomen saepissime in hoc libro recurrit, quum tamen raro apud Marcum et apud Lucam, apud Matthaeum vero, si unum praeterea locum exceperis [8]), non comparet nisi in illa appellatione: *Rex Iudaeorum*. Lege Io. Leonhardum Hugum [9]).

14 Quid igitur scribere propositum Ioanni fuisse dicemus, si non historiam, aut quibus, si non Iudaeis? Illud nimirum, ut magis atque magis divinam humanamque Iesu excellentiam proderet, demonstrando hunc esse *Christum filium Dei*, idque ad refellendos oppositos errores, qui grassari in ecclesia iam coeperant. Quinam porro illi fuerint, contra quos scripsit, discors ex una parte est tum veterum tum recentiorum sententia, quum alii nutument hos fuisse Nicolaitas, alii Gnosticos, alii Cerinthianos, alii Docetas, alii discipulos Ioannis Baptistae, alii Ebionitas; ex altera vero parte dubium est an *omnia* haec sectarum prodigia aetate Ioannis iam prosilnerint. Nicolaitarum quidem ipse Ioannes meminit in Apocalypsi veluti iam in Asia minore debacchantium [10]). Discipulos Ioannis a Paulo de erroribus quibusdam obiurgatos invenimus in Actis apostolorum [11]). Cerinthum vero una cum Nicolaitis petitum fuisse a Ioanne scribit Irenaeus [12]). Epiphanius autem [13]) et Hieronymus [14]) Cerintho Ebionaeos aliosque haereticos addunt. Re vera Nicolaitas et discipulos Ioannis Baptistae Ephesi, ubi Ioannes evangelista sedem sibi elegerat repertos fuisse discimus ex libris novi testamenti [15]), imo Nicolaitas [16]), uti etiam reliquas illas sectas, Asiam minorem in universum foedasse veteres patres atque historici tradunt. Ceterum parum refert hac de re certare, quum manifesto appareat illos errores omnes a Ioanne carpi ac refelli, qui nisi sint ipsa commenta ab istiusmodi sectis iam disseminata, fuerunt procul dubio semina harum sectarum, quae a prima ecclesiae aetate eruperunt. Errores enim Docetarum proprios a Ioanne redargui videas, haud quidem obiter, ut ait Hug [17]), neque semel, aut iterum, sed pluries [18]). Voces *λογος*, *ἀληθεια*, *ζωη*, *φως*, *σκοτια*, quas longe frequentius aliumque in sensum, quam ceteri evangelistae Ioannes usurpat, satis evincunt ei rem esse cum ea hominum progenie, qui orientalis gnosticaeque philosophiae sive praeceptis sive deliramentis imbuti, propriumque philosophiae huius veluti sermonem edocti voces illas ad sua placita de divinis rebus edicenda male detorquebant. Prima ipsa evangelii verba suggillare videntur placitum Gnosticorum et Nicolaitarum *λογον* nescio quem comminiscentium, cuius, ut Lucretii utar verbis, *fuisse principiale aliquod tempus* [19]) ipsis persuasum erat; atque adversari *τῃ Σιγῃ* sive *silentio* aeterno, quod iidem ipsi Gnostici omni rerum principio vetustius inducebant [20]).

15 Peculiari autem quodam ratione id sibi sumpsisse videtur Ioannes, ut Christi Iesu prae Ioanne Baptista excellentiam demonstraret, qua via veluti sterneretur ad illud confirmandum, quod ipsi propositum potissimum fuisse iam diximus. Nemo profecto alius evangelistarum tot refert de

---

[1]) Ib. I, 29. [2]) Io. XX, 29; XXI, 22. [3]) Ib. VIII, 3. [4]) Ib. VII, 42. [5]) Ib. I, 39. 43; IX, 7; XIX, 13. 17; XX, 16. 24. [6]) Io. I, 42; IV, 25. [7]) Io. II, 6; IV, 9; V, 4; XIX, 31. 40. [8]) Matth. XXVIII, 15. [9]) L. c. § 64. [10]) Apoc. II, 6. 15. [11]) Act. XIX, 1—7. [12]) Haer. III, c. 11. § 1. [13]) Haer. LXIX. § 23. [14]) De scriptorib. eccles. 9. *Ioann.* [15]) Apoc. II, 6 coll. 1; Act. XVIII, 25; XIX, 1 seqq. [16]) Apoc. II, 15 coll. 12. [17]) L. c. § 51 not. ult. [18]) Io. I, 14; II, 19—21; IV, 6; VI. 52—57; IX, 6; XI, 33 35. 38; XII, 7. 27; XIII, 21; XIX, 28. 31—37. 38. 40. 42; XX, 17. 20. 24—27. [19]) De rer. nat. V, v. 246. [20]) Lege *Voss.* et *Coteler.* Adnot. ad *Ignatii* ep. ad Magnes. § 8. not. 18.

Ioanne Baptista, quae hoc pertineant. Excellentiam enim illam Christo vel ipse tribuit [1]), vel confirmat tum quorumdam factorum narratione [2]), tum verbis ipsius Christi [3]), testimonio insuper discipulorum Baptistae aliorumque [4]), imo pluribus Baptistae ipsius testimoniis [5]). Notandum praeterea est, quo pacto in ipso evangelii exordio, Verbi divini notitia paucis praebita, subiicit continuo Ioannem Baptistam missum a Deo fuisse ideo dumtaxat, *ut testimonium perhiberet de lumine*, et *ut omnes crederent per illum* [6]), sollicitеque curat, ut caute attendamus, quod *non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine* [7]); ac paullo post, ubi illud confirmavit, quod *Verbum caro factum est* [8]), sese ipsum testem inducens, quippe qui viderit *gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre* [9]), continuo refert Baptistae verba, quibus se Christo longe esse inferiorem fassus ac testatus est [10]). Huc denique et illud pertinere videtur, quod, quum in aliis evangeliis Christi praecursor Baptistae cognomine saepe designatur, ne semel quidem id fiat in evangelio Ioannis.

16 Ceterum Ioannis consilium *ἐλεγκτικὸν* potius quam historicum esse vel ex eo comperimus, quod testimonia scripturarum depromat ad probanda, quae edisserit, addita etiam subinde formula illa: *ut impleretur*, aut simili [11]), quod utique etiam a Matthaeo, quin et saepius, factum est, utpote cuius quoque consilium *ἐλεγκτικὸν* fuit, docendi, inquam, Iudaeos Iesum esse Messiam; ut Marcus semel tantum id fecit [12]), Lucas autem nec semel; quoties enim illa formula legitur in huius evangelio, legitur autem quater [13]), non ipse, sed Christus eam profert, quod etiam in evangelio Ioannis [14]) aliorumque interdum fit. Quamquam autem Ioannis evangelium reliquis, si Marcum demas, brevius sit, paucioraque, quam in reliquis, scripturarum testimonia in eo reperiantur, tamen, dempto Matthaeo, nemo saepius quam Ioannes ex huiusmodi testimoniis argumenta petit probationum; id enim Marcus bis praestitit [15]), Lucas semel [16]), Ioannes vero octies [17]).

17 Quae autem evincunt summum consilii, quod Ioannes ceperat evangelium conscripturus, fuisse, ut probaret Iesum esse Christum filium Dei, tot sunt ac tanta, ut plura aut potiora expeti nequeant. Haec enim ipsa propositio est, quam utpote totius libri argumentum in ipso libri exordio fusius exponit [18]), hanc statim factis atque auctoritatibus defendere ac tueri aggreditur [19]), hac eadem evangelium claudit tamquam summa disputatorum in toto libro [20]), hanc diserte profitetur sese eo in libro probandam suscepisse, ita scribens: *Haec autem scripta sunt,* ᴜᴛ *credatis,* ǫᴜɪᴀ ɪᴇsᴜs ᴇsᴛ ᴄʜʀɪsᴛᴜs ғɪʟɪᴜs ᴅᴇɪ [21]). Eodem praeterea, ut videlicet illud credamus, pertinere docet multa alia, quae narrat [22]). Hoc ipsum Ioannis consilium satis prodit clausula illa, quam ipse frequentissime adhibet, numquam vero reliqui: est autem illa, *homines in Iesum credidisse*, eamque subiungit tum iis, quae ipse narrat, tum sermonibus Christi, quos refert [23]). Quid vero quod verbum *πιστεύω*, vix quinquies supra tricies in aliis simul evangeliis usurpatum, centies usurpat Ioannes? Quid quod animum saepissime ad ea advertat, quae bona manent credentibus [24]), quaeque mala non credentibus [25])? Quid autem quod longe magis sollicitum sese exhibeat de iis referendis, quae Christus loquutus est, atque docuit, quam quae ab eo quantumvis mirabilia gesta sunt? Longe enim major evangelii pars ex Christi sermonibus ac praeceptis constat, quam ex rebus gestis. Hic autem, velim, illud praeterea consideres, etsi Ioannes ommittat Christi invectiones in Iudaeos Pharisaeosque ab aliis evangelistis praesertim a Matthaeo relatas, bis tamen aut ter aliquid huiusmodi et apud Ioannem legi, quo Christus in illos utique invehitur, sed ideo solum, ut illis exprobret, quod nondum crediderint [26]). Quum autem Christi res gestas aut harum rerum adiuncta narrat Ioannes, id constanter ab eo fieri eatenus videas, quatenus vel res istae atque ista rerum adiuncta opponuntur erroribus, quos redarguere instituit [27]), vel eadem haec faciunt ad Christi amabilitatem plenius manifestandam, ut historia mulieris Samaritanae [28]), mulieris adulterae [29]), Lazari [30]), Mariae Christi pedes ungentis [31]), vel quasi ansam praebent ad demonstrandam Christi prae Ioanne Baptista excellentiam [32]), vel connexa sunt Christi sermonibus et

---

1) Io. I, 8 coll. 9. 20; III, 32. 2) Ib. III, 26 coll. IV, 1; X, 41. 3) Ib. V, 34 coll. 33. 36. 4) Ib. I, 37. 41 coll. 40; X, 41. 42. 5) Ib. I, 15. 16 coll. 20. 23. 26. 27. 29—34. 36; III, 27—31; V, 33. 6) Ib. I, 7. 7) Ib. 8. 8) Ib. 14. 9) Ib. 10) Ib. 15 seqq. 11) Ib. XII, 38, XIX, 24. 28. 36. 12) Marc. XV, 28. 13) Luc. IV. 21; XXI, 22. 24; XXIV, 44. 14) Io. XIII, 18; XV, 25; XVII, 12. 15) Marc. I, 2. 3; XV, 18. 16) Luc. III, 4—6. 17) Io. II, 17; XII, 15; XII, 38; XII, 40; XIX, 24; XIX, 28; XIX, 36; XIX, 37. 18) Io. I, 1—14. 19) Ib. 15 seqq. etc. 20) Ib. XX, 31. 21) Ib. 22) Ib. I, 7; VI, 29. 30; X, 38; XI, 15. 42; XIII, 19; XIV, 29; XVII, 21; XIX, 35. 23) Ib. I, 37 coll. 41. 43 coll. 45. 49 coll. 50; II, 11. 22; IV. 39. 41. 42. 53; VI, 14; VII, 31. 40; VIII, 30; IX, 17. 35—38; X, 19—21. 42; XI, 26. 27. 45; XII, 11. 16—19. 42. 24) Ib. I, 12; III, 15. 16. 18. 36; VI, 35. 40. 47; VII, 38. 39; XI, 25. 26; XII, 36. 46; XIV, 12; XVII, 20; XX, 29. 25) Ib. III, 18, VIII, 24; X, 26; XII, 37 seqq.; XVI, 19. 26) Ib. VIII, 14—19; IX, 41. 27) Lege locos indicatos superius §§ 14. 15. 28) Ib. IV, 5 seqq. 29) Ib. VIII, 3 seqq. 30) Ib. XI, 1 seqq. 31) Ib. XII, 1 seqq. 32) Ib. I, 19 coll. 20—27. 29. hemistich. prim. coll. hemistich. altero — 34. 35 coll. 36; III, 22—25 coll. 26—31; V, 1 seqq. coll. 32—36; X, 40 coll. 41—42.

praeceptis, quae referre Ioannes volebat, aut saltem viam ad haec referenda complanant [1]), vel denique eo tendunt, ut fidem concilient iis, quae de Christo credere oportet, quo res illas illaque rerum adiuncta tendere docet ipse Ioannes addita in fine narrationum clausula illa, quam diximus, homines in Christum credidisse.

18 Nulla igitur dubitatio superesse potest, ne forte aliud quam id, quod affirmavimus, Ioanni in evangelio scribendo fuerit propositum.

QUAESTIO IV

An hoc evangelium post cetera scriptum fuerit.

19 Qua quisque evangelistarum scripserit aetate, vetustiores scriptores apprime dissident. Horum quippe sententias videas veluti fluctuare, quod ad Matthaeum attinet, inter annos a Christi obitu tertium ac decimum, mitto enim ea, quae leguntur in Irenaeo [2]), iam in alio loco [3]) a nobis explicata, quod vero attinet ad Marcum inter decimum unum et duodecimum, quod ad Lucam, inter decimum quintum, et tricesimum, quod denique ad Ioannem, inter tricesimum et sexagesimum quintum. Ex quo id unum conficere possumus, evangelia omnia inter tertium et sexagesimum quintum annum ab obitu Christi, intra sexaginta videlicet annorum spatium fuisse conscripta. In id tamen mire consentiunt scriptores illi, quod omnes ad unum affirmant Matthaeum primo, tum Marcum, deinde Lucam, postremo Ioannem scripsisse; unus tamen Clemens Alexandrinus Lucam ante Marcum scripsisse ait [4]). Hunc autem consensum eo confirmari facile dabis, quia, quae serissima e pluribus aetas uni alicui evangelio tribuitur, cunctas anteeat, quae evangeliis insequentibus tribuuntur. Sed evangelia ipsa certiores nos faciunt Ioannem omnium postremum scripsisse.

20 Nam primo quaeri solet, cur tot ac tanta omiserit Ioannes, quae de Christo ceteri narrarunt. Quem nodum non alio pacto solvas, nisi si dicas Ioannem post ceteros omnes evangelium suum edidisse. Etenim, quae omittit, ipsum ignorasse quominus credamus, obstat, quod ipse Christi amore ac familiaritate intimo usus, ut superius vidimus (2. 3), rerum actionumque ipsius Christi plenissimam notitiam habuisse dicendus sit. Imo multa ex iis, quae ab ipso omittuntur, et ab aliis narrantur, ipso praesente facta fuisse ex ipsis aliorum evangeliis ediscimus, sive ea miracula sint, ut sanitas restituta socrui Simonis [5]) et mulieri αἱμοῤῥοούσῃ [6]), daemonia e corporibus eiecta Capharnai [7]) ut Gerasae [8]), visus coecis redditus Bethsaidae [9]) et Hiericunte [10]), tempestas in lacu Genesareth sedata [11]), Christus et Petrus in lacu illo ambulantes [12]), filius viduae Naimitidis [13]) et filia Iairi archisynagogi [14]) ad vitam revocati, sive sint testimonia de Christi divinitate, quae dederunt vel ipse Christus [15]), vel daemones ipsi [16]), vel apostoli [17]), vel latro cruci affixus [18]), vel centurio [19]), sive denique sublimiora quaedam Christi gesta, uti sunt eius transfiguratio [20]), institutio eucharistiae [21]), Christi precatio in horto Gethsemani [22]), prodigia in ipsius morte patrata [23]), eius ascensus ad caelum [24]).

21 Neque, cur omnia haec omitteret, caussa esse potuit, quod minime vellet historiam perscribere, sed docere nos ea, quae ad Christi divinitatem pertinent. Nam eorum, quae reticet, plurima ipsius consilio plane conduxissent. Huiusmodi enim maxima ex parte sunt ea, quae modo attulimus, pluraque, quae afferri possent, verbi caussa, comparatio caelestis nuntii de futuro ortu Ioannis

---

[1]) Ib. I, 37—51 coll. 52; III, 1—2 coll. 3—21; IV, 4—9 coll. 10—38; V, 1—16 coll. 17—47; VI, 1—25 coll. 26—70; VII, 1—5 coll. 6—8. 9—15 coll. 16—24. 25—27 coll. 28—29. 30—32 coll. 33—34; VIII, 2 coll. 12—58; IX, 1—38 coll. 3. 4. 5. 39. 41 — X, 1—18. 22—24 coll. 25—38; XII, 20—22 coll. 23—36. 37—43 coll. 44—50; XIII, 1—11 coll. 12—38. XIV. XV. XVI. XVII. [2]) Haer. III. c. 1. [3]) Cap. II. nn. 15—22. [4]) Ap. *Euseb.* H. E. L. VI. c. 14. [5]) Marc. I, 30 seqq. coll. 29. [6]) Marc. V, 25 seqq. coll. 31. 37. [7]) Marc. I, 23 seqq. coll. 19—21. [8]) Marc. V, 2 seqq. coll. IV, 10. 34—36 et V, 1. 21. [9]) Marc VIII, 22 coll. 10. 13. [10]) Matth. XX, 29 seqq. coll. 17. 20; Marc. X, 46 seqq. coll. 32. 35; Luc. XVIII, 35 coll. 31. [11]) Matth. VIII, 24 coll. 23; Marc. IV, 37 coll. 10. 34—36. [12]) Matth. XIV, 25—31 coll. 22. [13]) Luc. VII, 14. 15 coll. 11. [14]) Marc. V, 41. 42 coll. 37; Luc. VIII, 54—55 coll 51. [15]) Matth. X, 32. 33 coll. 1—5; XII, 8 coll. 1; XX, 23 coll 20 et coll. Marc. X, 35 seqq.; Matth. XXIV, 36 coll. 1; Marc. XIII, 32 coll. 3; Luc. X, 21 seqq. coll. 23. [16]) Marc. I, 24 coll 19—21. 29; III, 11. 12 coll. 7. 9; V, 6. 7 coll. IV, 10. 34 seqq. et coll. V, 1—21. [17]) Matth. XIV, 33 coll. 22; XVI, 15. 16 coll. 13. 20. [18]) Luc. XXIII, 42 coll. Io. XIX, 26. [19]) Matth. XXVII, 54, et Marc. XV, 39 coll. Io. XIX, 26. [20]) Matth. XVII, 1—9. [21]) Matth. XXVI, 26—29 coll. 20, et coll. Io. XIII, 5. 23. [22]) Matth. XXVI, 39—46 coll. 37. [23]) Matth. XXVII, 51—53 coll. Io. XIX, 26. [24]) Marc. XVI, 19 coll. 14; Luc. XXIV, 51 coll. 33—50.

Baptistae [1]) cum nuntio de futuro ortu Christi [2]), Zachariae vaticinium de Ioanne filio [3]), atque ipse Christi baptismus [4]), quae utique opportunissima fuissent ad Christi prae Ioanne Baptista excellentiam comprobandum, sicut etiam legatio discipulorum ipsius Ioannis Baptistae ad Christum [5]); item suspicio, quae daemonem incessit, de Christi divinitate, quam tentare adortus est [6]). Christi disputatio, qua se Davide maiorem esse demonstravit [7]), prodigium, quo comprobavit potestatem sibi esse dimittendi peccata [8]), tacitaque consequntione confecit se Deum esse [9]), signa denique superna ad Iordanem visa, quum Christus ascendit e flumine [10]).

22 Horum, inquam, omnium, quorum plurima vidit Ioannes et audivit, quaeque tam grandia reapse sunt tamque opportuna, quibus id, quod intendebat, assequeretur, nullam apud eum mentionem legere est; quare vero, nisi quia sciret aliorum evangelistarum narrationibus ea iam inter homines vulgata esse? Atque, ni mea me fallit opinio, huc spectare ea videntur, quae ille habet in prima suarum epistolarum: *Non* SCRIPSI *vobis* QUASI IGNORANTIBUS *veritatem*, *sed* QUASI SCIENTIBUS *eam* [11]), quae quidem, quum de ipsa epistola dicta esse nequeant (5), quid aliud sonent, nisi ita a Ioanne evangelium scriptum fuisse, ut qui probe sciret se iis scribere, quibus gesta Christi iam nota essent? Sed collatio huius et ceterorum evangeliorum rem prorsus conficit.

23 Nam, quum Matthaei et Marci narrationes sistant ferme intra fines Galilaeae, Lucas vero extra illam quoque quasi vagetur aliquantulum ad portas usque Hieroselymae [12]), videns Ioannem ea referre, quae extra Galilaeam in Iudaea potissimum atque adeo Hierosolymae facta sunt [13]), eorum vero, quae egit Christus in Galilaea, pauca narrare [14]), in quantum consilio suo faciunt, eaque tantummodo, quae ceteri omiserunt, si duo exceperis ab aliis quoque narrata, id est, quinque panum multiplicationem, quaeque continuo subsequuta est, ambulationem in mari Galilaeae [15]), quae quidem liquet ideo ab eo referri, quin ex duobus his narrationibus, quarum posterior necessaria est ad seriem factorum conservandam, occasio oblata est divino illi Christi sermoni, quo Capharnaitas de eucharistia a se instituenda edocuit [16]). Cur autem reliqua omnia in Galilaea peracta reticuit Ioannes, cur, inquam, nisi ea de caussa, quam diximus?

24 Quin etiam in illis ipsis, quae narrat iam ab aliis narrata, deprehendas adiuncta bene multa, quae apud alios desiderantur. Describens enim multiplicationem quinque panum ait illa, quae Marcus dixerat prolata fuisse ab apostolis [17]), Philippi verba esse [18]), eaque Philippum Iesu ipsum interroganti respondisse [19]), Andream vero eum fuisse, qui dixerat Christo non reperiri nisi quinque panes [20]), porro panes illos fuisse hordeaceos [21]) inque manibus cuiusdam puerali repertos [22]), quod autem fragmentorum, quae supererant ex panibus, duodecim cophinos apostoli colligerint, Christo iubente eos fecisse [23]). Mox Christum in mari Galilaeae gradientem commemorans definit, quantum itineris navicula confecerat [24]), adiecitque eam Christo recepto statim litori appulisse [25]), quae quidem neque Matthaeus, neque Marcus habent. In aliis evangeliis invenimus Iesum asello vectum Hierosolymam ingredientem, coetusque hominum filium Davidis regemque adclamantes, atque arborum ramis laetitiae caussa colludentes; Ioannes tamen et diem edicit, quo haec facta sunt [26]), et coetes illos ex urbe Christo occurrisse [27]), ramosque ex palmis fuisse decerptos [28]). Ne autem longius progrediamur, missam facimus collationem eorum, quae de Christi cruciatibus, nece, et resurrectione tum Ioannes, tum ceteri narrant, ex qua illud idem conficere est, quod ex hactenus disputatis.

25 Contra ea harum ipsarum narrationum partes vel praecipuas, quae apud alios leguntur, abesse videas a Ioanne. Huiusmodi sunt designatio loci deserti, ubi Christus panes multiplicavit [29]), apostolorum sermones Christo suadentium esurientem multitudinem in proximos vicos dimittere [30]), Petri ambulatio in aquis [31]), via, qua Christus veluti triumphans Hierosolymam contendebat, vestibus, atque arborum ramis a populo constrata [32]). Ubi ea describit, quae Christus supremo vitae die perpessus est, nulla apud Ioannem mentio sive concilii diluculo habiti a sacerdotibus [33]), sive caussae ad Herodes tribunal devolutae [34]); Christi autem iter ad Golgatham eumque cruci affixum duobus

[1]) Luc. I, 13—17. [2]) Ib. 30—35. 41—44. [3]) Ib. 76. [4]) Matth. XIII, 13—15. [5]) Matth. XI, 2 seqq. [6]) Matth. IV, 3. [7]) Matth. XXII, 41—46. [8]) Matth. IX, 2—8; Marc. II, 3—12; Luc. V, 18—26. [9]) Marc. II, 10 coll. 7; Luc. V, 24 coll. 21. [10]) Matth. III, 16. 17; Marc. I, 10. 11; Luc. III, 21. 22. [11]) 1 Io. II, 21. [12]) Luc. X, 38 coll. Io. XI, 1. [13]) Io. I, 19—42; II, 13 — IV, 43; V, 1 — VI, 1; VII, 10 — XX, 31. [14]) Ib. I, 43 — II, 12; IV, 43—54; VI, 1 — VII, 9; XXI, 1—22. [15]) Ib. VI, 1—21. [16]) Ib. 24 seqq. [17]) Marc. VI, 37. [18]) Io. VI, 7. [19]) Ib. VI, 5. [20]) Ib. 8. [21]) Ib. 9. 13. [22]) Ib. [23]) Ib. 12. 13. [24]) Ib. 19. [25]) Ib. 21. [26]) Ib. XII, 12 coll. 1. [27]) Ib. 13 coll. 12. [28]) Ib. [29]) Matth. XIV, 13. 15; Marc. VI, 32. 35; Luc. IX, 10. 12. [30]) Ib. [31]) Matth. XIV, 28—31. [32]) Matth. XXI, 8; Marc. XI, 8. [33]) Matth. XXVII, 1. [34]) Luc. XXIII, 7 seqq.

versiculis describit [1]), omissis, quaecumque ceteri de his memoriae prodiderunt, praeter alia plura, quae post illa iidem facta narrarunt. In historia autem resurrectionis nihil de terraemotu, nihil de angelo sepulcrum reserante, nihil de custodibus exterritis et ad sacerdotes factum referentibus, Ioannes nos docet, quae tamen ab aliis docemur [2]).

26 Iam vero, si sedulo rationem hanc examines, qua ab aliis narrata Ioannes quoque refert, quae alii in hisce narrationibus habent, omitteas, quae vero non habent, adjungens, nonne manum hac in re agnoscas illius, qui aliorum evangelistarum scripta ob oculos retinens id solum curat, ut illa suppleat?

27 Illud vero in collatione huius ac ceterorum evangeliorum adeo animum percellit, ut fieri nequeat, quominus pro certo habeamus Ioannem post ceteros scripsisse, quod de rebus quibusdam ita loquitur, vel ita eas obiter indicat, ut manifesto appareat positum habere legentibus iam compertas aliunde esse, hosque ad ceterorum evangelistarum narrationes veluti ablegare videatur. Legimus haec apud Ioannem: VIDIMUS *gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre* [3]); at nusquam in toto eius evangelio hoc factum reperias, aut quandonam Ioannes Christi gloriam viderit, neque ulla nobis pateret via intelligendi verba illa, nisi ceteri evangelistae narrassent Christi transfigurationem atque ascensum in caelos, quibus Ioannes praesens adfuit, et ad quae verba illa pertinere liquet. Scribit Pharisaeos Baptistae dixisse: *Quid ergo* BAPTIZAS, *si tu non es Christus?* [4]), nihil tamen narraverat de hoc baptismate; igitur huius notitiam aliunde hausisse putabat, qui haec lecturi erant. Refert eumdem Baptistam haec de Christo loquutum esse: *Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum* [5]); sed quandonam id viderat? quando, vel ubi id factum fuerat? Evangelista noster silentio haec praeterit, nempe quia noverat haec legi in ceteris evangeliis. Post ea, quae Hierosolymis gessit Christus primo paschato ex quatuor, quorum meminit Ioannes, narrat is illum venisse cum discipulis *in terram Iudaeam* [6]), quo tempore Baptista morabatur *in Aennon iuxta Salim* [7]), continuoque haec subiungit: *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem* [8]). Sed quorsum ista addita? Profecto non ut inde clareat magis narratio, quae neque obscurior fuerit, si haec deessent; si enim Baptista liber in Aennon morabatur, manifestum est nondum in carcerem coniectum fuisse. Quin imo, quum nunquam ea de re evangelista loquutus sit, clausula haec παρενθέτως impediret potius, incertumque pendere cogeret lectorem, cui nihil de re illa auditum unquam fuerit, quam tamen lectori iam notam esse ponit Ioannes. Verum iis, qui alia evangelia legerant, necessaria omnino fuit clausula illa, ne μεταχρονισμόν peccasse ipsum suspicarentur, quandoquidem Matthaeus [9]) et Marcus [10]) Baptistae in vincula coniecti mentionem fecere continuo post descriptam Christi commorationem in Iudaeae desertis, quum tamen ea, quae nunc a Ioanne referuntur, longe post illum contigerit [11]); ex quo compertam fit, quorsum ea clausula opus faerit. Porro id, quod volumus, aliis quoque huius ipsius evangelii testimoniis comprobare est. Quorum unum est illud Christi effatum: *Propheta in sua patria honorem non habet* [12]), quod in hoc evangelio numquam alias occurrit, nec tamen velati inauditum, sed, ut quod iam notum esset [13]), afferri videtur ad rationem reddendam eorum, quae proxime narrata sunt. Item verba illa Christi: *Haec in* PROVERBIIS *loquutus sum vobis* [14]), id est in *parabolis*, quarum tamen neque unam legas apud Ioannem. Sed illud multo gravissimum, quod Ioannes duabus voculis: *Et coena facta* [15]) ὥσπερ ἐν παρόδῳ mentionem iniicit coenae illius ultimae, in qua eucharistia instituta est, quamque ceteri omnes evangelistae fuse descripserunt. Nec tamen levius illud, quod affirmat ita de Christo iudicium factum fuisse, *ut* SERMO *eius impleretur*, QUEM DIXIT *significans, qua morte esset moriturus* [16]), cuius sermonis ne unam quidem voculam retulit Ioannes, integrum vero retulerunt et Matthaeus [17]), et Marcus [18]), et Lucas [19]).

28 Denique ex Ioannis evangelio cum tribus reliquis collato, potissimum cum evangelio Lucae, qui, neque ac Ioannes, temporum ordinem ac rerum seriem observat, siquidem ea omnia consideres, quae tum Ioannes, tam ceteri sive narrant, sive missa faciunt, intelliges ita hunc referre, quae ceteri reticent, quae vero referunt, reticere, ut ea, quae solummodo apud Ioannem leguntur, ordine ne minimum quidem immutato quam aptissime inserere possis iis, quae leguntur apud Lucam, quo solida

---

1) Io. XIX, 17, 18. 2) Matth. XXVIII, 2. 3. 4. 11. 3) Io. I, 14. 4) Ib. 25. 5) Ib. 32. 6) Ib. III, 22. 7) Ib. 23. 8) Ib. 24. 9) Matth. IV, 12. 10) Marc. I, 14. 11) Lege *Hug.* l. c. § 53. 12) Io. IV, 44. 13) Matth. XIII, 57; Marc. VI, 4; Luc. IV, 24. 14) Io. XVI, 25, 15) Ib. XIII, 2. 16) Ib. XVIII, 32. 17) Matth. XX, 18. 19. 18) Marc. X, 33. 19) Luc. XVIII, 32.

atque continua historia inde existat. Quam rem pateater tibi ponet ob ocnlos alter huius operis liber.

29 Ne vero illud opponas, quae hactenus dissernimus, ad id utique valere, ut evincamus Ioannem scripsisse post Matthaeum et Lucam, quoram quam aterque uou pauca referat a nallo alio relata, liquere Ioanuem haec omnia, hac ipsa de caussa, qaod in illorum evangeliis legantar, vel omisisse, vel tamquam iam nota retulisse, vel adiectis, quae deeraat, supplevisse, ideoque negari haud posse Matthaei et Lucae evangelia ante evangeliam Ioannis conscripta atque haic faisse perspecta; secus tameu rem se habere qaod ad Marcum, utpote qai vix quidquam proferat, quod uon a Matthaeo, vel a Luca fuerit prolatam. Ne id inquam, opposueris. Marcum enim ante Ioanuem scripsisse perspicue efficitur tum ex aetate, qua Ioauuis evangelium editum faisse ab ipsa huius inspectione mox docebimur, tum ex eo, quod Marcus scripserit aute Lucam, ut iam demoastravimus [1]). Opus autem Marci Ioanni iguotum haud esse potuisse evincit eadem ipsa aetas, qua scripsit Ioannes, qaaque alia evangelia iam ia omnibus ecclesiis omniam manibas terebautar. Sed etiam ex ipsn inspectioae et comparatione amborum evangeliorum nonnulla momenta elicere possumus, quibas istud comprobemus. Solas qaippe Marcus uarrat loquelam et aaditum homini surdo ac mato a Christo restitutum ad lacum Galilaeae [2]), cui tameu prodigio an Ioannes praesens adfuerit, vel habita ratione loci, ubi illud factam est, dubitare vix possumus. Solas Marcas refert visum caeco cuidam homini a Christo redditum Bethsaidae, id est, in patria ipsa Ioauuis [3]), eodemque loaune, ut videtur, Christum comitante [4]). Neutrius tamen horum portentorum, qaae praesente, ut credere est, Ioaune patrata a Christo sunt, ulla in Ioaanis evangelio fit meutio. Solus item Marcus uobis servavit partem cuiusdam sermouis a Christo habiti [5]), quam Ioannes oblivione premi passus neutiquam fuisset, si illam uondum a quoquam literis coasignatam autamasset, tum quia uihil horum Christi verborum simile habetur iu evangeliis, tum quia haec ad Christi virtutem potentiamque demoustrandam, quod Ioannis cousilio apprime opportuuum accidebat, argumento uou levi esse poterant, tum quia his verbis Ioanuem ipsum Christus fuerat alloquatus [6]); verba tamen haec aat similia frustra qaaeras in huius evangelio. Car autem haec verba atque illa facta a Marco relata Ioannes omiserit, quamuam caussam esse putemus, nisi illam ipsam, qua et alia omisit, quae Matthaeus et Lucas retulerant, videlicet quia iam literis faeraut consignata.

30 Quod si cuiquam uondum ista sufficiaut, ut sibi illud probemus, quod disputamus, dubitetque, ue forte tota hac argumentatioue contrarium confiei possit, Ioannem videlicet aute ceteros scripsisse, siquidem utrumqae ex hac evaugeliorum collatioae aeqae colligi posse videatur, ideoque diceudos potius esse ceteros evaugelistas illis ipsis de caussis ea omisisse, quae scripta iam noveraut a Ioanne, is, qnae subiungimus, atteate, velim, consideret.

31 Primum est Ioanuem καθεξῆς, uon secus ac Lucam, res gestas Christi enarasse, ut iutelligimus uou modo ex iis, quae paallo aute (28) animadvertimus, veram etiam ex eo, quod longe frequentias, quam ullus ceterorum, tempora, imo vel ipsos dies, ipsasqae horas. designet, quibus quaeque facta saut (9), solusque meminerit quatuor paschatam, quae Christus quataor postremis vitae aauis celebravit, quorum primum est iu Io. II, 13, alterum eruitur ex collatis Io II, 13; IV, 35; V, 1; VI, 4, tertium est in Io. VI, 4, quartum iu Io. XI, 55, ao secundum haec qaatuor paschata totam rerum a Christo gestaram narrationeui disposuerit, adeo ut uuus ipse sit, qui memoriae prodiderit, quot auuis Christus ministerio suo functus fuerit. Usurpat insuper quam saepissime illas voces: *Post hoc, postea, post haec* [7]), quae uecessario defiuiunt temporum ordinem; nisi euim hoc ordine facta fuisseut, quae narrantur, meadacium saperent voces illae. At, si Ioanues ordiuem temporum in suis narratiouibus sequutus est, eum scripsisse post Lucam efficitur ex iis, quae de prooemio Lucae alibi disseruimus [8]), proiude post Matthaeum quoque et post Marcum, quorum alteratrum ante Lucam scripsisse apparet ex eodem illo prooemio [9]), imo et alterum, ex iis, quae alio iu loco disseraimus [10]) nedum ex totius autiqaitatis testimonio.

32 Praeterea, si ponamas Ioannem reliquis scribeado praeivisse, proinde eius opus illis uotum fuisse, quum ceterorum consilium aliud fuerit consilio Ioauuis, quumque ipsorum evangeliorum ratio atque indoles ab iudole et ratione haius evangelii prorsus discrepet, quamprimum seutiemus multas atque inextricabiles difficultates uadique iu uos veluti irrumpere, nosque obruere. Etenim eo semel

---

[1]) Capp. II. III. [2]) Marc. VII, 31. 32 seqq. [3]) Marc. VIII, 22 seqq. [4]) Conf. ib. 10. 13—21. [5]) Marc. IX, 38—40. [6]) Conf. ib. 37. [7]) Io. II, 12; III, 22; V, 1. 14; VI, 1; VII, 1; XI, 7. 11; XIX. 28. 38; XXI, 1. [8]) Lib. III. Diss. I. Conf. cap. III. nn. 9—11. [9]) L. III. Diss. I. n. 28. [10]) Cap, II. n. 13.

posito nulla iam suppetet caussa aut ratio, quam reddamus, cur tot ac tanta ex gestis Christi in singulis evangeliis desiderentur. Ecquinam autem verisimile fiat Ioannem rerum actionumque Christi testem *αὐτοπτην*, qui omnium primus eas literis consignare instituisset, silentio praeterire voluisse, et, quantum in se erat, sinere, ut oblivione premerentur plurima illorum, quae ipse conspexerat, quaeque tam mira essent tamque sublimia, et ad id, quod ea scriptione praestandum sibi proposuerat, tam opportuna? Ecquis credat Lucam, qui disertis verbis profitetur sese et omnia *diligenter* perscrutatum assequutumque esse, et *ex ordine* omnia narrare, quis, inquam, credat, vel tale evangelium, quale illud Ioannis est, ignorasse, vel, quod mirabile magis foret, ex illo vix quidquam eorum exscripsisse, quae in illo leguntur, atque temporum designationem definitionemque, quam Ioannes suggerit, quaque ad ordinem rerum narrandarum servandum, quod tamen Lucas sibi praestituerat, nihil aptius reperire erat, prorsus tamen ab ipso fuisse praeteritam? In universum autem, si ante ceteros scripsit Ioannes, qui fieri potuit, ut ii, quorum quiqui posterius scribebant priora evangelia transcribebant, ex Ioanne solummodo, quod transcriberent, nihil ferme sibi opportunum repererint? Huiusmodi argumentis, fatear enim ingenue, ea vis inesse mihi videtur, ut evidentiae reluctari dixerim, qui secus esse contendat.

33 Ipsa itaque evangeliorum inspectio atque inter se comparatio plane consonant priscorum patrum sententiae affirmantium Ioannem omnium postremum ad evangelium scribendum animum appulisse. Quod et illa, quae mox disseremus, magis atque magis confirmant.

QUAESTIO V

Quo tempore in lucem prodierit hic liber.

34 Etsi discors sit patrum sententia, quo loco, quove anno evangelium scripserit Ioannes, in hoc tamen consentiunt, quod aiunt postremis vitae ipsius annis id factum. Quam patrum sententiam accipere omnino suadent tum evangelii ipsius inspectio, tum huius cum epistolis Ioannis collatio, aliaque rationum momenta, quae suppeditant Acta apostolorum, epistolae Pauli, et Apocalypsis.

§ I

Evangelio ipsi aetatis suae indicia insunt.

35 Primo succurrunt Christi verba, quibus is, ut Ioannes narrat, Petri mortem praedixit, et quibus haec idem ipse evangelista subiunxit: ***Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum*** [1]). Haec non obscure indicant Petrum iam mortuum fuisse, quum ea scriberentur; non enim dicitur: ***qua morte clarificaturus*** SIT, sed: ***clarificaturus*** ESSET ***Deum.*** Graeca quidem secus intelligenda esse videntur; *ποιῳ θανατῳ δοξασει τον θεον*, praesertim quia ubi meminit Ioannes eorum, quae etsi eo tempore, de quo scribebat, essent adhuc futura, facta tamen iam fuerunt, quum scriberet, adhibet verbum *μελλω*, ut fert graeci sermonis *συνταξις* [2]). Nihilominus, velim, primo animadvertas, quod alibi adnotavimus (6), Ioannem in rebus Christi narrandis se tamquam praesentem his sistere, atque ad tempus, quo ea facta sunt, veluti redire, ita ut, quae, quum scriberet, longo ante tempore facta iam fuerant, narret tamen veluti futura, respectu videlicet illius temporis, de quo scribit. Cuius rei quid plane geminum habes in hoc evangelio, ubi haec legimus: ***Sciebat enim ab initio Jesus . . ., quis traditurus esset eum*** [3]), quae graeca ita sunt: *ᾔδει γαρ ἐξ ἀρχῆς ὁ Ἰησους . . . τις ἐστιν ὁ παραδωσων αὐτον*, non vero: *ὁ μελλων παραδιδοναι.* Illud vero Ioanni postremum evangelii caput scribenti accidisse ipsa huius capitis materies credere suadet. Quum enim in illud ultimo Christum, et quidem de ipso loquentem induceret, ac simul ipsius animo observaretur supremum illud tempus, quo eius in terris adhuc degentis alloquio ac familiaritate fruebatur, supremaque illa dilectionis indicia ab eo sibi praebita, quid mirum, si amor, quo in Christum vicissim ferebatur quam vehementissime, Ioannis mentem retro ad praeteritum illud tempus adeo abripuerit, ut, quae gesta referebat, veluti si praesentia adessent, conspicere, verasque audire voces sibi videretur, proinde ea ratione loquutus sit? Animadverte praeterea, si nobis in hac quaestione res sit cum iis, quibuscum potis-

---

[1]) Io. XXI, 19. [2]) Lege Io. IV, 47; VI, 6. 15. 71; VII, 35. 39; XI, 51; XII, 4. 33; XIV, 22; XVIII, 32.
[3]) Io. VI, 64.

simum est, qui vel scripturarum divinitatem prorsus respuunt, vel contendunt praedictiones ab evangelistis non adhiberi ad facta illustranda nisi *κατ' ἔκβασιν*, non posse huiusmodi homines non accipere, quod defendimus, verba illa Christi a Ioanne non ea ratione explicata fuisse, nisi post necem Petri. Ceteris vero, qui divinam scripturarum auctoritatem suspiciunt, quique vaticinia, ut talia sunt, ad fidem faciendam a scriptoribus novi testamenti afferri non dubitant, praeter testimonium latini interpretis, si Catholici ii sint, considerandum proponimus, ut numquam alias Ioannes, sive prophetarum sive Christi praedictiones interpretetur, nisi quum res praedictae iam evenerant (16), unicum vero istud foret, non in novo testamento solammodo, sed in integris bibliis, oraculum, quod historicus ipse; qui id refert, ante eventam fuerit interpretatus. Quare ex hoc evangelii capite concludere possumus scriptum hoc prodiisse post necem Petri et Pauli, quos eodem tempore necatos fuisse testis est vetustissima, et constans maiorum nostrorum *πατροπαράδοσις*. Id ipsum coniicere saltem licet ex eo, quod, quum ceteri evangelistae, ubi narrant, quomodo Petrus percusserit servum pontificis, Petri nomen reticent [1]), Ioannes is est, a quo discimus Petrum id perpetrasse [2]): nimirum illi quadam usi sunt observantia in Petrum adhuc viventem, quae ratio Ioanni non fuit, Petro iam vita defuncto.

36 Animadvertit praeterea Io. Leonhardus Hug [3]) oportere Hierosolymam iam eversam fuisse, quum Ioannes scribebat, nam de iis, quae in illa urbe erant, aut in eius viciniа. ita loquitur, ac si non amplius ea superessent. Quibus id comprobet, affert Io. XI, 18; XVIII, 1; XIX, 41. Cur autem Ioannes secus loquatur de piscina Bethsaidae his verbis: EST *autem Hierosolymis probatica piscina quinque porticus habens* [4]), caussam esse Hug ait, quod fons aquarum *τῇ πανωλεθρίᾳ* superstes esse potuerit; verba vero: ***quinque porticus habens*** non necessario significare porticus illas, quum scriberet, adhuc superfuisse, quum vox ***habens*** idem etiam valeat ac ***quae habebat.*** Animadvertere etiam potuisset, quomodo Ioannes, postquam illam piscinam tamquam adhuc manentem memoraverat, ea tamen, quae ibi fieri solebant, non narraverit nisi tamquam praeterita, ut quae iam fieri desierant [5]). Magnum sane momentum in rem nostram haec haberent, quo vinceremus evangelium Ioannis post eversam Hierosolymam prodiisse, si tamen pluribus, et validioribus argamentis possent confirmari. Ex eo insuper vim conciperent, quod iterum notavimus, Ioannem, quum rebus gestis, quae narrat, interesse sibi videatur, quae praeterita sunt, tamquam praesentia referre, imo subinde tamquam adhuc futura; quare ubi secus agit, dicendum omaino esse videretur, ipsum rem vere praeteritam, quaeque amplius non superest, commemorare. Attamen, quominus prorsus huic argumento acquiescam, illud obest, quod idem ferme factum subinde videmus a Luca [6]), quamvis ante illius urbis excidium evangelium suum scripsisse is putandus sit. Tam ipse Ioannes, de quibusdam Palaestinae locis mentionem iniiciens, tamquam praeterita commemorat ea, quae, quum scriberet adhuc manebant [7]).

37 Verum si huiusmodi argumentum non omni vi pollere vel ipse Hug seatire debet, longe secus est aliud deprompitam ex ultima plagula evangelii, quod cum eorum sententiam, qui docent divinum hoc opus sub extremam vitam a Ioanne fuisse confectum, apprime confirmat, tum removet simul quamdam difficultatem, quam lectoribus postremum illud caput evangelii solet facessere.

38 Etenim descriptis, quae inter Christum redivivum et inter Thomam transacta quodammodo sunt, librum suum absolvit Ioannes clausula addita, quam ad ea solummodo, quae illuc usque descripta sunt. non vero ad ea, quae forte sequutura essent, pertinere pro comperto est [8]); simulque affirmat multa a se consulto praeteriri [9]), enuntiatque, quorsum tendant ea omnia, quaecumque scripta eo usque ab ipso sunt [10]), quaeque idcirco satis putasse Ioannes dicendus est, quibus propositum suum assequeretur, ita ut iam nihil amplius praeterea ab eo exspectes. Attamen abrupte redintegrata narratione videas aliud e Christi gestis historiae iam absolutae ab eo subnecti [11]). Id vero ex iis, quae modo diximus, apparet aliud non esse nisi evangellii appendicem, ideoque sub illa clausula [12]) minime comprehendi. Quum autem Ioannes aperte professus sit alia multa a se praeteriri, cur, quasi mutata subito voluntate, novum istud depromit? Non quidem ad illud idem evincendum, quod sibi in evangelio proposuerat, quum doceat proposito huic satis iam se fecisse [13]), quumque illud, quod narrare nunc aggreditur, perspicuum sit, nequaquam eodem, quo evangelium, pertinere; proinde neque semel Christi divinitatem hoc in capite commemorat, neque eum Dei filium vocat, neque ullam fidei, quae hisce *δόγμασιν* habenda sit, mentionem iniicit. Quorsum igitur haec appendix?

---

[1]) Matth. XXVI, 51; Marc. XIV, 47; Luc. XXII. 50. [2]) Io. XVIII, 10. [3]) L. c. § 73. [4]) Io. V, 2. [5]) Ib. 3. 4. [6]) Luc. VI, 29; XXI, 5. [7]) Io. III, 23; IV, 6. [8]) Io. XX, 30. 31. [9]) Ib. 30. [10]) Ib. 31. [11]) Io. XXI, t seqq. [12]) Io. XX, 30. 31. [13]) Ib.

39 Enimvero, quaeras licet ac requiras quantum vis, hoc tandem devenias oportet, ut concedas aliquid praeterea Ioanni succurrisse sibi praestandum; hoc autem aliud non esse, nisi ut eorum opinionem refutaret, qui putabant ipsum nequaquam esse moriturum. Etenim refert, quomodo Christus redivivus discipulis tertio apparuerit, quaeque tunc egerit, et loquutus sit, ita tamen haec refert, ut narrationis ἑνότης plane constet, unumque esse pateat, quod illa complectitur. Nam exponit primo rationem ac modum, quo illud evenerat [1]), quadam veluti subiecta clausula [2]). Nec dum quidem discernere est, quorsum evangelio iam absoluto istud additamentum pertinent; at nihilominus amovere ex mente nequimus sententiam ingestam ex hac historiae redintegratione, Ioannem aliquid adhuc animo intendere, aliorsum tamen ac in evangelio spectare. Id vero statim perspicias, si ad ea, quae sequuntur, perrexeris. Intelliges enim historiam hanc Christi tertio visi viam quodammodo sternere ad mentionem eorum iniiciendam, quae tunc Christus Petro praenuntiavit *significans, qua morte clarificaturus esset Deum* [3]). Haec vero, quae Petro de sua morte sunt praenuntiata, in caussa fuisse, cur in Christum interrogaret, quid futurum esset, ut fieret Ioanni [4]), Christus vero responderet: *Sic eum volo manere donec veniam* [5]), atque ita demum locus esset refellendae sententiae, quae orta ex hisce Christi verbis obtinuerat, Ioannem nequaquam esse moriturum [6]).

40 Et re vera continuo apostolus noster id refutare aggreditur [7]) quamdam sollicitudinem prae se ferens ut designet, de quonam loquutur, de se videlicet [8]), addit, quo rei fidem omnem conciliet, a se ipso hanc narrationem aut evangelii appendicem adiunctam esse conscriptamque [9]), seque testem veracem professus [10]) tandem librum denuo obsignat. Hoc igitur, ut, inquam, sententia illa refutaretur, postremum hoc evangelii caput tendere dicendum est.

41 Iam vero, si Ioannes, quem comperimus invitum ac veluti reluctantem de se scribere, quum id res exigit, utpote qui non ante supremam Christi coenam in evangelio compareat [11]), neque unquam sui mentionem in eo faciat nisi *ὥσπερ περὶ τοῦ δεῖνα*, ergo si Ioannes, postquam librum absolverat, dixeratque reliqua omnia, quae utique plurima narranda supererant, consulto se missa facere, adhuc tamen scribere pergit, neque ita, ut aliquot ex his, quae praeterierat, sed ut unum solummodo adiungat, idque ad ipsum pertinens, quo quamdam de ipso opinionem refellat, cuius quidem refutationis nihil unquam simile historici *θεόπνευστοι* praemiserant; dicamus necesse est eum huius rei haud levem suscepisse curam, ideoque opinionem illam, non paucorum aliquot, sed plurimorum fuisse, eosque eam utcumque illos prae se tulisse, sed penitus animo imbibisse, nam, si secus, haudquaquam tanti momenti res Ioanni visa esset, ut in evangelio ipso de hac sibi agendum putaret.

42 Quinam vero fuerunt, qui id de Ioanne opinabantur? haec enim opinio dicitur percrebuisse *inter* FRATRES [12]). Nempe non apostoli, imo neque discipuli Christi, sed coetus ipse Christianorum. Vox enim *fratres* sine apposito usurpata in historiis novi testamenti, quoties nec propriam significationem consanguinitatis retinet, nec illam, qua aliquem ex amore *fratrem* compellamus, nihil nisi Christianorum coetum significat, nunquam vero apostolos sive discipulos. Quin imo pluries a *fratribus* tum apostoli tum discipuli secernuntur [13]), atque adeo in hisce ipsis evangelii verbis, quae expendimus: *Exiit ergo sermo inter* FRATRES, *quia* DISCIPULUS *ille non moritur* [14]). Neque obsunt, quae legimus in Actis: *In diebus illis exurgens Petrus in medio* FRATRUM, *dixit etc.* [15]), quo tempore alii Christiani non fuisse videntur praeter apostolos et discipulos. Etenim hic quoque Christianorum coetum sive ecclesiam, quantula tunc erat, nomine *fratrum* designari evidens est, quum non apostoli solummodo aut discipuli cum Petro essent, sed utrique, unaque cum illis et propinqui Christi, et ipsa eius mater, aliaeque mulieres [16]), *erat autem turba hominum simul fere centum viginti* [17]), quot nequaquam erant apostoli et discipuli simul sumpti.

43 Itaque, si Christianorum coetus est, quos inter ea opinio pervaserat, ii potissimum fuisse putandi sunt, quibus maxime notus erat Ioannes; erat autem Asiae ecclesiis, quarum peculiarem curam gessit, atque in ephesinae praesertim, in qua degere solebat [18]). Harum tamen ecclesiarum non ante necem Pauli peculiarem curam suscepisse ille videtur, quum in epistolis, quas Paulus misit sive ad illas atque adeo ad ipsam ecclesiam Ephesiorum, sive sub exitum vitae ad Timotheum [19]) Ephesiorum episcopum, nunquam Ioannis nomen occurrat eos inter, quos Paulus salutat. Quare dicenda est eos prius sententia de Ioanne nunquam morituro vulgari per Asiam coepisse, quam is post obitum Pauli illarum ecclesiarum curam suscipiens notior iis factus est.

---

1) Io. XXI, 1–13. 2) Ib. 14. 3) Ib. 19 coll. 15–18. 4) Ib. 20. 21. 5) Ib. 22. 6) Ib. 23. 7) Ib. 8) Ib. 24. 9) Ib. 10) Ib. 11) Io. XIII, 23. 12) Io. XXI, 23. 13) Act. XI, 1. 29; XII, 17; XV, 22. 23. 14) Io. XXI, 23. 15) Act. I, 15. 16) Ib. 14. 17) Ib. 15. 18) *Tillemont.* l. c. 19) II Tim. IV, 6.

44 Aliquid tamen in caussa esse oportuit, cur haec sententia, cuius ad id locorum nullum iudicium comparuit, exinde obtinere coeperit; neque enim repeti ea potest ex sola notitia, sive Ioannis, quam pleniorem tunc habuerunt asianae ecclesiae, sive verborum Christi, quae talem sententiam non necessario exhibent. Quamnam itaque veri magis similem caussam illius rei possumus excogitare, quam si dicamus Christianos illius aetatis, quum viderent, reliquis omnibus apostolis iam vita functis unum Ioannem omnibus superstitem ad summam usque senectutem provectum, ut per pronominationem *Senior* vocaretur [1]), suspicari tandem accepisse, verba Christi ita intelligenda esse, tamquam Ioannes numquam foret moriturus? Illud enimvero nemo, puto, negabit, nullum tempus eo opportunius obvenire potuisse huic opinioni refutandae. Hoc ipsum argumentum ex hoc ipso loco deprompsit Ioannes Millius [2]), ut id ipsum vinceret, quod nos contendimus.

45 Quae quum ita sint, non sine optima ratione ex ipso Ioannis evangelio coniicimus, illud in extrema vitae suae aetate a Ioanne scriptum fuisse. Id tamen plenius comprobat collatio inter hoc ipsum evangelium atque inter epistolas Ioannis.

§ II

Eadem evangelio atque epistolis Ioannis aetas est.

46 Si evangelium atque epistolas Ioannis inter se conferas, illud omnino consequens esse videbitur, quod nunc persequimur, eamdem evangelio atque epistolis aetatem esse tribuendam; alterum vero, quod postea disputabimus, epistolarum aetatem seram quam maxime fuisse, postremos videlicet Ioannis annos, ex ipsis epistolis evincemus.

47 Illud quasi huius quaestionis principium positum sit, alia atque alia unius eiusdemque auctoris scripta, quamquam eamdem scribentis manum redoleant, aliam tamen stili rationem aliamque veluti indolem prae se ferre, prout hac vel illa auctoris aetate prodierunt, pro diversis quoque eius affectionibus, pro rerum, de quibus in illis agitur, discrepantia, pro differentia personarum, quibus aut in quarum usum ea eduntur, verbo pro disparilibus rerum, locorum, ac temporum adiunctis. Ita, quod exempli caussa dixerim, factum videas in Virgilii carminibus; Eclogae enim, Georgica, Aeneis, Virgilium tibi constanter exhibent, sed singula alium veluti se ipso. Ita etiam in sacris voluminibus, verbi gratia, in epistolis Pauli, quae maximam habeat inter se convenientiam, ut Paulus in omnibus appareat, at simul inter se discrepant aliqua de caussa, ex illis, quas modo enumeravimus. Quo posito, ita pronuntio. Si qua scripta non modo eumdem stilum sapiunt, sed et iisdem de rebus sint, easdem doctrinas, easdem sententias, eadem praecepta complectantur, idem prorsus scriptoris ingenium, eamdem indolem, eumdem animum, easdem animi affectiones referant, easdem loquutiones eademque verba persaepe exhibeant, imo et in unius atque eiusdem sive hominis sive gentis usum edita esse videantur, nullo erroris formidine impediar, quominus concludam, scripta haec non modo eiusdem auctoris esse, sed eodem ferme tempore prodiisse; quod quidem, si neque ipsius auctoris verba desint, quae credere suadeant, iam omnem hac de re dubitationem imprudentis foret non ex animo amovere. Haec autem omnia in evangelio atque in epistolis Ioannis comperimus.

48 Quod enim ad stilum, quidquid contra contenderit Eichhorn [3]), quem pro merito Hug castigavit [4]), vix ovum invenias ovo similius, quam epistolae Ioannis similes sunt sermonibus, quos legimus in eius evangelio. Utrobique enim cernas breviores sententias alias aliis raptim succedere nullis transitionibus, atque ita, ut earum nexum non facile deprehendas, seriemque discursus plerumque frustra perquiras; saepe tamen sententias similes, imo et easdem recurrere, saepe duo membra in illis opponi, definitiones et denominationes a vocibus: *hic est* [5]), *haec est* [6]), *hoc est* [7]) ferme inchoari, usum vero particularum *ἵνα ut*, *ὅτι quod*, *quoniam*, *εἰς τοῦτο ad hoc*, *ἐν τούτῳ in hoc*, longe frequentiorem, quam in scriptoribus ceteris novi testamenti. Quasdam insuper loquutiones ac dicendi formas in epistolis aeque ac in sermonibus, quos evangelium habet, reperimus vel unius Ioannis proprias, vel rarius omnino aut vix ab aliis usurpatas. Huiusmodi sunt: *Esse ex Deo* [8]), *ex veritate* [9]), *ex diabolo* [10]), *ex mundo* [11]), ex aliis [12]), *natum esse ex Deo*, *ex spiritu*, *ex aqua* etc. [13]), esse in

[1]) II Io. 1; III Io. 1. [2]) Prolegg. N. T. n. 183. [3]) Einleit. in das N. T. II B. 2te Hälft. § 182. S. 309. [4]) L. c. § 65. [5]) Io. I, 15. 30. 33. 34; VI, 50. 59; VII, 26. 40. 41; XXI, 24; I Io. IV, 3; V, 6 20; II Io. 7. [6]) Io. VI, 39. 40; XVII, 3; I Io. I, 5; II, 25; III, 11; V, 3. 14; II Io. 6. [7]) Io. I, 2. 19; III, 19; VI, 29; XV, 12; I Io. III, 23; V, 11; II Io. 6. [8]) Io. VI, 46; VII, 17. 29; VIII, 47; IX, 16. 33; I Io. II, 16; III, 10; IV, 1—4. 6. 7; V, 19; III Io. 11. [9]) Io. XVIII, 37; I Io. II, 21; III, 19. [10]) Io. VIII, 44; I Io. III, 8. [11]) Io. VIII, 23; XV, 19; XVII, 14. 16; XVIII, 36; I Io. II, 16; IV, 5. [12]) Io. VIII, 23; I Io. II, 19; III, 12. [13]) Io. I, 13; III, 5. 6; I Io. II, 29; III, 9; IV, 7; V, 1. 4. 18.

Patre, in Filio[1]; ***in mundo***[2], in alio[3], ***manere in Deo, in Christo, in hominibus, in charitate, in veritate etc.***[4], ***esse apud Deum***[5], ***nosse Deum***[6], ***Patrem***[7], ***Filium***[8], ***nos*** aliosque[9], ***veritatem***[10], ***habere vitam, habere vitam aeternam, habere vitam in se***[11], ***servare, custodire praecepta, mandata, sermonem, verba***[12], ***ambulare in luce, in tenebris, in veritate, cetera***[13]. ***In hoc cognovimus, scimus, credimus, in hoc apparuit, manifestum est, in hoc est, cetera***[14], ***haec scribo, haec scripta sunt etc.***[15], quae verba a Ioanne usurpata, ubi scripta sua commemorat, animadvertas apprime respondere illis: ***Haec loquor, haec loquutus sum***[16], quae Christus usurpat in Evangelio Ioannis, ubi de suis sermonibus loquitur. Quod autem de loqutionibus deque dicendi formis affirmamus, affirmandum etiam est de pluribus vocibus, quae numquam in ceteris evangeliis adhibita reperiuntur, vel saltem pro ratione molis librorum longe rarius, quam in evangelio atque in epistolis Ioannis; tales sunt: *ἀγαπαω, ἀγαπη, ἀληθεια, ἀληθης, ἀληθινος, ἀληθως, ἀρχη* et *ἀπ' ἀρχης, γενναω*, si caput primum Matthaei exceperis, *γινωσκω, ἐξι, ζωη* et *ζωη αἰωνιος, κοσμος, μαρτυρεω, μενω, ὁραω, παρακλητος, πατηρ, πιστευω, πωποτε, σκοτια, τηρεω, φανεροω, φως* sensu translato.

49 Dogmata autem, quae noster evangelista urget atque inculcat, eadem omnino sunt, tum in evangelio, tum in epistolis, videlicet de Deo[17], de Verbo divino[18], de incarnatione[19], de redemptione[20], de intercessione Christi[21], de Christi sanctitate[22], de Christo sectando[23], de Spiritu sancto[24], de missione divinarum personarum, Filii videlicet[25] et Spiritus sancti[26], de mutua mansione divinarum personarum unius in aliis, deque earum mansione in nobis, nostraque in eis[27], de vita aeterna[28], de mundo[29], de luce et tenebris[30], de charitate[31], de peccato[32], de precatione[33], de praeceptis servandis[34].

50 Eosdem etiam errores in epistolis ac in evangelio impeti facile est pervidere. Docetarum enim deliramentis explodendis veritatem *ἐνσαρκωσεως* verumque Christi corpus et sanguinem urget Ioannes in epistolis aeque ac in evangelio[35]. Refellendae autem Gnosticorum doctrinae, prorsus ut in evangelio fieri vidimus (14), adhibentur illae voces *λογος, ἀληθεια φως, ζωη*. Horum atque etiam Nicolaitarum commento de Verbo initium habente in prima epistola, sicut in evangelio, prima ipsa verba opponuntur.

51 Ceterum *δογμα*, ad quod adserendum praesertim tendit epistola prima, illud ipsum est, ad quod diximus tendere praecipue ipsum evangelium, Iesum esse Christum filium Dei[36]; quo aeque pertinet initium et finis epistolae[37], non aliter ac initium et finis evangelii[38]. Quin et epistola

---

1) Io. I, 4; X, 38; XIV, 10. 11. 20; XVII, 21. 23; 1 Io. II, 5; III, 5; V. 20. 2) Io. I, 10; IX, 5; XVII, 11; 1 Io. II, 15. 16; IV, 3. 4. 17. 3) Io. VIII, 44; XIV, 17. 20; XVII, 23. 26; 1 Io. I, 7. 8. 10; II, 4. 5. 9. 10. 11. 15; IV, 4. 18; V, 19. 4) Io. III, 36; V, 38; VI, 27. 57; VIII, 31; XII, 46; XIV, 10. 17; XV, 4—7. 9—11; 1 Io. II, 6. 10. 14. 24. 27. 28; III, 6. 9. 14. 15. 17. 24; IV, 12. 13. 15. 16; II Io. 2. 9. 5) Io. I, 1. 2; XVII, 5; 1 Io. I, 2; II, 1. 6) Io. IV, 22; XVII, 3; 1 Io. III, 1; IV, 6. 8; V, 20. 7) Io. VIII, 55; X, 15; XIV, 7; XVI, 3; XVII, 3. 25; 1 Io. II, 14; III, 1. 8) Io. I, 10. 26; XIV, 7. 9; XVII, 3; 1 Io. II. 3. 4. 13; III, 6. 9) Io. II, 24; V. 42; X, 14. 27; 1 Io. III, 1. 10) Io. VIII, 32; 1 Io. II, 21; II Io. 1. 11) Io. III, 15. 16. 36; V, 24. 26. 39. 40; VI, 40. 47. 54. 55; X, 10; XX, 31; 1 Io. III, 15; V, 12. 13. 12) Io. VIII, 51. 52. 55; XII, 47; XIV, 15. 21. 23. 24; XV, 10. 20; XVII, 6; 1 Io. II, 4. 5; III, 22, 24; V, 3. 13) Io. VIII, 12; XII, 35; 1 Io. I, 6. 7; II, 11; II Io. 4. 6; III Io. 3. 4. 14) Io. IV, 37; XIII, 35; XV, 8; XVIII, 37; 1 Io. II, 3. 5; III, 8. 10. 16. 19. 24; IV, 2. 6 9. 10. 13 17; V, 2. 15) Io. XX, 31; XXI, 24; 1 Io. I, 4; II, 1. 26; V, 13. 16) Io. XIV, 25; XV, 11; XVI, 1. 4. 25. 33; XVII, 13. 17) Io. I, 18 coll. 1 Io. IV. 12; Io. III, 16 coll. 1 Io. III, 16 et IV, 9; Io. VIII, 12 coll. 1 Io. I. 5. 18) Io. I, 1 coll. 1 Io. I. 1; Io. I, 1. 2 coll. 1 Io. I, 1. 2; Io. XIV, 21 et XV, 23 coll. 1 Io. II, 23. 19) Io. I, 14 coll. 1 Io. I, 1; Io. I, 14 coll. 1 Io. I, 2; Io. XIX, 30. 34 coll. 1 Io. V, 6. 8. 20) Io. I. 4 coll. 1 Io. I, 1; Io. I, 29 coll. 1 Io. II, 2 et III, 5; Io. III, 17 et IV, 42 et XII, 27 coll. 1 Io. IV, 14. 21) Io. XIV, 16 coll. 1 Io. II. 1. 22) Io. XVII, 19 coll. 1 Io. III, 3; Io. VIII, 46 coll. 1 Io. III, 5. 23) Io. VIII, 12 coll. 1. Io. I, 6. 7 et II, 6. 24) Io. XIV, 16 coll. 1 Io. III, 24 et IV, 13; Io. XVI, 14 coll. 1 Io. V, 6. 25) Io. III, 17 et alibi passim coll. 1 Io. IV, 9. 10. 14. 26) Io. XIV, 26 et XVI, 7 coll. 1 Io. III, 24 et IV, 13. 27) Io. VI, 57 et X, 38 et XIV, 10. 11. 16. 17. 20. 23 et XV, 4—7 et XVII, 21. 23 coll. 1 Io. II, 5. 6. 24. 27. 28 et III, 6. 9. 24. et IV, 12. 13. 15. 16. 28) Io. III, 15. 16. 36 et V, 24 et VI, 27. 40. 47. 52. 55. 59. 69 et X, 28 et XI, 28 et XVII, 3 coll. 1 Io. II, 25 et III, 15 et V, 10—13. 20; Io. XVII, 22. 24 coll. 1 Io. III, 2. 29) Io. III. 31 coll. 1 Io. IV, 5; Io. VII, 7 coll. 1 Io. V, 19; Io. XII, 31 coll. 1 Io. II, 15—17; Io. XV, 18. 19 et XVII. 14 coll. 1 Io. III. 13; Io. XV, 19 coll. 1 Io. II, 15 et IV, 5; Io. XVI. 33 coll. 1 Io. IV, 4 et V, 4. 5; Io. XVII. 16 1 Io. II, 15; Io. XVII, 25 coll. 1 Io. III, 1. 30) Io. I, 4. 5 9 coll. 1 Io. I, 5—7; Io. VIII, 12 coll. 1 Io. I, 6. 7; Io. XI, 10 et XII, 35 coll. 1 Io. II, 11; Io. XII, 35. 36 coll. 1 Io. I, 5—7. 31) Io. III, 16. 17 coll. 1 Io. III, 16 et IV, 9; Io. VIII, 42 coll. 1 Io. IV, 7; Io. XIII, 34 coll. 1 Io. II, 7. 8 et III, 23; Io. XIII, 35 coll. 1 Io. II. 5 et III, 10; Io. XIV, 15. 23 coll. 1 Io. II, 6 et III, 24; Io. XV. 13 coll. 1 Io. III, 16. 32) Io. VIII, 44 coll. 1 Io. III, 8. 33) Io. XVI, 23. 24 coll. 1 Io. III, 22 et V, 14. 15. 34) Io. VIII, 29 coll. 1 Io. III, 22; Io. VIII. 47 coll. 1 Io. IV, 6; Io. XIV, 15. 23 coll. 1 Io. II, 3; Io. XIV, 23 coll. 1 Io. II, 24; Io. XIV, 24 coll. 1 Io. II, 4; Io. XV, 10 coll. 1 Io. II, 6 et III, 24. 35) 1 Io. I, 1—3; IV, 2. 3. 12. 14; V, 6—9; II Io. 7. 36) 1 Io. I, 2. 3. 7; II, 22. 23; III, 16. 23; IV, 2. 3. 9. 10. 14. 15; V, 1. 5—14. 20. 37) 1 Io. I, 1—3; V, 13. 38) Io. I, 1 seqq.; XX, 31.

secunda, etsi privatae cuidam foeminae data ac perbrevis, magnam tamen partem eodem dirigitur [1]).

52 Nec alia sunt, quam quae in evangelio traduntur, praecepta tradita a Ioanne in epistolis, de fide videlicet iis adhibenda, quae de Iesu nos docuit [2]), deque amore ac dilectione, qua Deum primo mandata eius observando [3]), tum nos invicem prosequamur [4]); itemque ut a mundi fraudibus caveamus [5]).

53 Sed et plures sententiae eadem omnino ratione iisdemque verbis aut fere tum in evangelio tum in epistolis efferuntur, aut ita saltem, ut maximam inter se praeferant convenientiam. Confer haec, quae infra sunt

EPISTOLA I	EVANGELIUM	EPISTOLA I	EVANGELIUM
I, 1	I, 14	IV, 4	XVI, 33
„ 1—3	XIX, 35 et XVII, 21	„ 5	III, 31
„ 4	XV, 11	„ 6	VIII, 47
III, 1	I, 10. 12 et XVII, 25	„ 9	III, 16. 17
„ 14	V, 24	„ 12	I, 18
„ 16	III, 16 et XV, 13	V, 4	XVI, 33
„ 22	VIII, 29	„ 19	VII, 7

54 Ingenium atque indolem Ioannis talem se prodere in epistolis, qualem in evangelio, argumento sunt tum suavitas quaedam sermonis, quam epistolae spirant, tum appellationes amoris plenae, quibus utitur, ut sunt *charissimi; filioli*, tum illud, quod tam saepe dilectionem mutuam et charitatem tamque sollicite ac ferventer commendet, ut cuivis legenti statim apparet. Affectiones porro easdem occupasse animum eius, qui epistolas scripsit, ac qui evangelium, indicio vel id unum esse potest, quod in epistolis ipsissimas loquutiones adhibeat, quibus in evangelio Christum loquentem inducit, atque illas potissimum, quas legimus usurpatas a Christo, quum orationem illam sublimissimam ac plane divinam haberet post coenam, cui ultimo accubuit, ut nemini compertum non fit ex utriusque scripti collatione modo (53) habita.

55 Superest adhuc unum, quod demonstremus, tum evangelium, tum priorem epistolam in eorumdem hominum doctrinam atque usum conscripta iisdemque missa fuisse a Ioanne; id vero evincunt tum verba ipsius epistolae, tum huius atque evangelii materies.

56 Superius (5) iam animadvertimus Ioannem in epistola hac mentionem facere scripti cuiusdam iisdem lectoribus ab eo destinati, ad quos illam scripserat, quoniam sub ipsum initium scribit *annunciare* se, quae *viderat*, quaeque *manibus contrectaverat* [6]); haec autem profecto nihil nisi res et facta esse queunt, quum tamen in epistola nihil reperias praeter δογματα, et sententias, quae neque videntur, neque contrectantur. Igitur ea, quae *annunciare* se scribit, non in epistola quaerenda sunt, sed in alio eius scripto, id est, in evangelio. Eadem ratione arguere poteris ex illis loquutionibus: *haec scribo, haec scripsi*, quae in ipsis primis huius epistolae versibus adhibentur [7]). Vox enim *scripsi* epistolam nullo modo potest designare; vox autem *scribo*, ubi primum occurrit [8]). spectat manifesto ad illa ipsa, ad quae vox *annuntiamus* [9]). Alibi quoque, ubi huiusmodi loquutiones comparent, perspicuum est eas aliorsum spectare, quam ad ipsam epistolam. Exempli caussa sint verba illa: *Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos* [10]), ecquis non videat referri ad illud, quod sibi Ioannes proposuit in evangelio conscribendo? Illa vero: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam* [11]), iam superius declaravimus (22). Ratio autem, ob quam se scribere dicit: *ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum* [12]), haberi potius videtur in narratione gestorum et sermonum Christi in evangelio exhibita, quam in iis, de quibus est in epistola. Quod ad verba illa: *Non mandatum novum* SCRIBO *vobis* . . . . *Iterum mandatum novum* SCRIBO *vobis* [13]), quae procul dubio de praecepto mutuae dilectionis dicta sunt [14]), attende ut nihil antea in epistola

[1]) II Io. 3. 7—11. [2]) LL. cc. et alibi. [3]) I Io. II, 3—5; III, 18. 24; IV, 9—11. 16—21; V, 1—3. [4]) I Io. II, 7—11. III, 10. 11. 15—18. 23; IV, 7. 8. 11. 12. 20. 21; V, 1. 2; II Io. 5. 6; III Io. 5. 6. 8. 10. 11. [5]) I Io. II, 15. 16. 17; III, 1. 13; IV, 5; V, 4. 5. 19. [6]) I Io. I, 1. 3. [7]) I Io. I, 4. [8]) Ib. [9]) Ib. 3. [10]) I Io. II, 26. [11]) Ib. 21. [12]) Ib. 1, 4. [13]) I Io. II, 7. 8. [14]) Conf. Io. XIII, 34 cum I Io. III, 23.

dictum sit, ad quod ea pertinere credamus, quae vero continuo sequuntur, non sunt praecepta, sed merae sententiae. Quorsum igitur ea spectent, nisi ad illud praeceptum, de quo Ioannes dixerat in evangelio? Ergo verba huius epistolae evincunt eam iisdem lectoribus, ac evangelium, fuisse destinatam.

57 Sed idem hoc evincit tum huius epistolae, tum evangelii materies, utpote una eademque in utroque scripto. Ambo enim circa duo potissimum versari comperimus, ita tamen, ut tamquam aliquid connexum atque unum[1]) duo illa a scriptore tractentur. Sunt vero, uti non semel dictum est, fides habenda iis, quae docet de Christi divinitate, refutatis simul erroribus, qui contra serpere iam inceperant, et dilectionis atque charitatis praeceptum. Considerare autem est, ut utraque de re ita agat Ioannes, ut non magis videatur haec docere velle ac *θεωρητικῶς* tradere, quam optare, ut ea, quae docet ac praecipit, *πρακτικῶς* et re ipsa exsequamur. Etenim si secus res se haberet, quorsum in iis tradendis atque adeo in his ferme unis tamdiu immoraretur, tamque saepe eadem repeteret? Ne vero dicatur Ioannes hostes, quos impeteret, sibi vinxisse, necessario ponere oportet, tam evangelium, tum epistolam, non aliis dari potuisse nisi iis, inter quos illos errores obrepere atque obtinere charitatemque defervescere ei visum erat. Quinam autem hi fuerint, haud difficile est intelligere.

58 Nam Ioannes in apocalypsi illorum duorum ecclesiam ephesinam admonuit. Haec in eo libro ordine prima censetur inter septem Asiae ecclesias[2]), de ea ante ceteras omnes agitur, atque ita de illis duobus ea admonetur, de falsis, inquam, doctoribus[3]) deque charitate deferveacente[4]), ac si illa eius proprium quid essent. Quamquam enim de duorum primo etiam ecclesiam pergamenam Ioannes admoneat[5]), de altero tamen nullam nisi ephesinam. Quare, quum nullam ecclesiam praeter ephesinam per illud tempus utrique malo obnoxiam noverimus, non aliis quam Ephesiis evangelium Ioannis, aeque ac primam epistolam, scriptum putabimus.

59 Materies igitur tum evangelii tum epistolae evincit iisdem lectoribus, Ephesiis, inquam, scriptum utrumque fuisse destinatum. Profecto Ioannem, etsi Asiae universae ecclesias curaret[6]), curam tamen potissimam egisse ecclesiae ephesinae, non modo scriptor Martyrii sancti Timothei[7]), Irenaeus[8]) aliique testantur[9]), sed etiam hinc intelligimus, quod ipse Ioannes in apocalypsi primam, ut modo vidimus, eam nominet inter Asiae ecclesias. Cuinam igitur potius quam huic ecclesiae Ioannem scripsisse dicamus? In veteris cuiusdam scriptoris, qui Petrus Alexandrinus esse creditur, opusculo edito a Petavio haec legimus: *Αυτο τε ιδιοχειρον του ευαγγελιστου* (*Ἰωαννου*) ... *μεχρι του νυν πεφυλακται χαριτι θεου ἐν τη Ἐφεσιων ἁγιωτατη ἐκκλησια, και ὑπο των πιστων ἐκεισε προσκυνειται* *Exemplar ipsum evangelistae Ioannis manu conscriptum ... etiamnum adservatur ex Dei gratia in sanctissima Ephesiorum ecclesia, et a fidelibus illic adoratur*[10]).

60 Quae quum ita sint, quumque talis ac tanta evangelii atque epistolarum, primae praesertim, convenientia esse appareat, satis omnino habemus, quo secure concludamus, non modo utrumque unius eiusdemque scriptoris opus esse, sed eodem tempore utrumque prodiisse, aut saltem, quod tamen in idem ferme recidet, sub idem tempus ad ecclesiam ephesinam missum fuisse. Quod quidem, sicut iam animadvertimus (47. 56), non levi argumento confirmare videntur verba illa in epistola prima saepius usurpata: *Haec scripsi, haec scribo etc.*, de quibus nonnulla praeterea dicamus necesse est.

61 Nam quum huiusmodi verbis non epistolam, sed evangelium Ioannes designet, eccur modo de eo loquitur tamquam in re praesenti: *Haec scribo*, modo vero tamquam rem praeteritam illud memorat: *Haec scripsi?* Aut ego una cum Io. Leonhardo Hugo[11]) apprime fallor, aut in caussa nihil est aliud, nisi quod evangelium, utique ante epistolam scriptum, simul tamen cum epistola Ephesum mittebat Ioannes; eo fere pacto, quo nos, quum libellum a nobis exaratum alicui mittimus addita simul epistola, qua scribendi rationem reddimus, in hoc modos illos loquendi promiscue usurpare non dubitamus, *haec atque haec nos in libello scribere, haec atque haec scripsisse.*

62 Quibus autem rationibus demonstravimus eamdem esse aetatem evangelio ac primae epistolae, earum pleraeque evincunt epistolam hanc primam quasi sociam habuisse secundam, nobili cuidam feminae missam. Haec enim, quamvis paucorum versuum, cum priore tamen maximam quamdam prae se fert veluti affinitatem. Etenim eodem pacto iisdemque fere verbis, ac prima, illuc tendit,

---

[1]) I Io. III, 23; V, 1. [2]) Apoc. I, 11; II, 1 coll. seqq. [3]) Ib. II, 6. [4]) Ib. 4. [5]) Ib. 15. [6]) *Euseb.* H. E. L. III, c. 23. [7]) Ap. *Phot.* cod. CCLIV. [8]) Ap. *Euseb.* l. c. [9]) Lege *Tillemont*, l. c. [10]) Ap. *Petav.* Doctr. temp. T. III. p. 213. [11]) L. c. §. 68.

quo evangelium ipsum, sive quod attinet ad *δογματα* de Christo [1]), sive ad erroneas de eo opiniones [2]), sive ad praeceptum mutuae dilectionis [3]), loquutionesque ac voces Ioanni usitatas easdem habet [4]), ut non modo Ioannem in hac agnoscas, sed (47) talem, qualem sese exhibuit, quum scriberet evangelium. Tertia denique epistola, quantum eius brevitas patitur, tot ac talia habet cum secunda communia, quae sufficiant, ut idem omnino de utraque iudicium faciamus [5]). Quid vero illa *Ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ scripsi ecclesiae* [6])? nonne primam epistolam indicant? Quae quidem epistolarum omnium, quam cum evangelio habent, convenientia, ut id quoque obiter animadvertam, magis magisque ostendit, quantum cordi Ioanni essent ea, de quibus in his scriptis agit, proinde quanta urgeret necessitas, ut de iis ageretur.

63 Quare, si quid momenti habent haec, quae protulimus, fidenter affirmare iam possumus tres Ioannis epistolas omnes sub idem tempus, nisi forte simul, scriptas ab eo fuisse, proinde eamdem aetatem evangelio atque epistolis esse tribuendam. Cui quidem sententiae comprobandae haudquaquam nihil conducere putamus illud, quod Hug [7]) adnotavit in codice cantabrigensi, qui vetustissimus et ipse vetustissimam exhibere fertur novi testamenti, ut vocant, *recensionem.* Ait itaque: *Tarditas librarii, qui codicem cantabrigensem descripsit, utile vetustatis monumentum nobis conservavit. In antica enim plagulae parte, cuius postica Actuum apostolorum initium habet, latinam paginam transcripsit versuum postremorum ex tertia epistola Ioannis* (Pag. 657), *quin tamen nosset quidnam scriberet, adiecitque etiam haec verba:* EPISTULAE IOANNIS III EXPLICIT INCIPIT ACTUS APOSTOLORUM. *Quod quidem nobis ea auctoritate est, ut credamus librarium habuisse ob oculos vetustum librum, in quo epistolae Ioannis continuo post evangelium ante actus apostolorum locum haberent.* Cur vero in illo codice, ex quo codex cantabrigensis exscriptus fuit, eo ordine epistolis post evangelium locus datus est? Etenim, cur in aliis exemplaribus, quae habemus, una cum ceteris apostolorum epistolis positae sint, manifesta ratio est; nempe ut omnes hasce epistolas simul compactas haberemus, sicut habemus evangelia, in vetere autem testamento libros historicos librosque prophetarum; quod tamen inventum esse videtur paullo recentius, utpote commodius; ubi enim primo novi testamenti libros quis colligere coepit, pronum magis ei fuerat illos compingere, prout ad manus veniebant, aut per nomina auctorum digestos. Itaque in vetusto illo codice ideo fortasse evangelio adiectae erant epistolae Ioannis, quia simul cum illo Ephesum missae, simul etiam illic servatae fuerant simulque ab iis repertae, qui primi scripta novi testamenti in unum volumen compegerunt. Non tamen illud dissimulabo, quod Hugum fugisse videtur, in codice cantabrigensi [8]) partem illam epistolae tertiae clausulamque huic subinnctam non legi post evangelium Ioannis, sed post evangelium Marci, quod in hoc, sicut in aliis quoque codicibus, ordine postremum est, proinde, quod in ea pagina legantur, videri, non id librario culpae vertendum, sed reliquias esse epistolarum, quae olim in codice continerentur, indeque iniuria temporis exciderint [9]).

§ III

Epistolae extrema senectute a Ioanne scriptae sunt.

64 Satis iam praestitisse mihi videor, quod assumpseram, ut ex collatione evangelii atque epistolarum demonstrarem, eamdem omnibus his aetatem esse tribuendam. Alterum modo evincendum est, aetatem hanc extremae vitae Ioannis respondere, quod epistolae ipsae satis produnt.

65 Nam Ioannem procul ab iis degisse, ad quos epistolas dabat, res ipsa credere cogit; quumque eodem tempore evangelium conscripserit, dicenda est eius absentia diuturnior fuisse et quietior, quo animum, qui alias cura omnium asianarum ecclesiarum distinebatur, nedum ephesinae, ad opus tale conficiendum adpelleret. At nullum tale tempus Ioanni suppetere profecto potuit, nisi quum in exsilium pulsus ceteris curis vacare vel invitus cogeretur. Id autem, ut est communior opinio (73 seqq.), contigit Domitiano Christianos insectante circa annum aerae vulgaris XCIV, quo tempore Ioannes extremam attigerat senectutem, ceterorum autem apostolorum quempiam adhuc vixisse neque ullus scriptor narrat, neque ratio ulla est, cur credamus [10]). Ex hoc autem iam efficitur post ceteros novi testamenti libros Ioannis scripta prodiisse. Id tamen necesse est aliis quoque momentis defendamus.

---

[1]) II Io. 3. 7. 9. [2]) Ib. 7. 9. 10. 11. [3]) Ib. 4. 5. 6. [4]) Ib. 1. 2. 4. 5. 6. 7. 9. 12. [5]) III Io. 10 coll. II Io. 7. 10; III Io. 13 coll. II Io. 12; III Io. 14 coll. II Io. 12. [6]) III Io. 9. [7]) L. c. [8]) Lege *Millii* Prolegomena pag. 132. [9]) Lege *Millii* Prolegom. n. 1270. [10]) *Tillemont* l. c.

66 Secunda et tertia epistolarum Ioannis duo nos docent, quae maxime e re nostra sunt. Unum est spes, quae Ioannis animum pertentabat, brevi fore, ut ad illos, ad quos epistolas scribebat, reverteretur [1]); quae sane spes hominem arguit iamdiu ab illis procul absentem atque eorum consuetudine aspectuque non sine animi dolore destitutum. Alterum est Ioannem in hisce epistolis per pronominationem *Seniorem* sese vocare [2]); inde colligimus hoc quasi cognomen Ioanni iam factum fuisse, atque ita, at eo Christianis Asiae aut Ephesi saltem notus idem esset, ania, si secus, ex illa *Senioris* appellatione, quinam epistolas scripserit, legentes numquam intellexissent. Verum talis appellatio veluti cognomen Ioanni aptari non antea potuit, quam provecta admodum esset aetate, neque eius propria esse, nisi quum de numero apostolorum nulli superessent alii, quibus aeque saltem competeret, nam neque ipse Petrus ad easdem illas Asiae ecclesias scribens *Seniorem* sese, sed *conseniorem* appellavit [3]).

67 Legimus in apocalypsi Ioannem in insula Patmo exsulantem [4]) iussum a Christo fuisse scribere inter ceteras ad ecclesiam ephesinam [5]), eamque redarguere defervescentis charitatis [6]), ac veluti praemunire contra assultus doctrinarum erronearum [7]). Utrumque in ipso libro apocalypseos perpaucis tamen, Ioannes exsequutus est. Attamen, quum istud ipsum sit duplex argumentum epistolae primae Ioannis non secus ac evangelii (49—53), cur non audacter pronuntiemus; Ioannem Christi mandata, quae perpaucis in apocalypsi fuerat exsequutus, pro sua in ephesinam ecclesiam sollicitudine ac benevolentia, epistola ad eam missa plenius exsequi voluisse? Quare epistola ex insula Patmo, atque ideo anno aerae vulgaris XCV aut XCVI, Ephesum missa fuisse dicenda foret, ergo indidem Patmo et evangelium eodem tempore prodiisse.

§ IV

Argumenta alia, quibus evangelii aetas demonstratur.

68 Hoc praeterea conducit ad evangelii aetatem praeter propter definiendam, nosse, quo tempore illi errores, quos evangelista noster refellit, Ephesi primum proruperint. Hos enim, quum Ioannes scribebat, late iam illic grassari coepisse, apparet vel ex ipsis epistolis. Id tamen factum non esse, nisi longe post obitum Petri et Pauli discimus ex aliis scriptis novi testamenti. Paulus enim anno aerae vulgaris L Ephesum venit ibique biennio amplius moratus est [8]). At neque tunc, neque quum anno LIII [9]) *a Mileto . . . mittens Ephesum vocavit maiores natu ecclesiae* [10]), quidquam ex erroribus illis deprehendit, praeter aliquid, quod peccabant discipuli Ioannis Baptistae [11]). Imo quod nihil adhuc erroneum illic serpere coepisset, Paulum ipsum testem habemus, qui eodem anno LIII haec praedicebat Ephesiis: *Ego scio, quoniam* INTRABUNT POST *discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi et ex vobis ipsis* EXURGENT [12]) *viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate* [13]). Scripsit deinde Paulus ad Ephesios, quum Romae primo vinctus degeret annis LVI et LVII, qua in epistola videtur nonnihil timere coepisse, ne charitas Ephesi defervesceret, quum virtatem hanc, quaeque ad eam pertinent, multum commendet Ephesiis [14]); itemque, ne aliquid obtineret ex illa philosophia, cuius asseclae obnoxii erant erroribus, in quos Ioannes insurgit, ut coniicere est ex verbis ipsius Pauli [15]). Haec tamen nondum valde pertimescenda fuisse nemo non videt, quum ex una parte obiter solummodo harum mentionem Paulus iniecerit, totusque fuerit in aliis rebus commendandis, ex altera vero parte ante omnia atque adeo paullo post ipsam epistolae exordium Ephesiorum *fidem* et *charitatem* laudaverit [16]). Imo anno LXVI aut anno postero, quo interfectus est, quum literas denuo scriberet ad Timotheum Ephesiorum episcopum, vix in istis ac ne vix quidem illorum errorum meminit, quos carpit Ioannes, quidquid secus senserint Hug [17]) et Cellerier [18]). In prima quidem epistola meminerat atque Paulus in aliversum quorumdam *aliter* docentium [19]), eorumque *vaniloquia* suggillaverat [20]); sed conferentibus, quae haec vel praecedant, vel sequuntur, compertum erit nihil id pertinere ad erroneas doctrinas, de quibus agit Ioannes [21]). Alexander et Hymenaeus [22]), quod eos una simul nominat, eodem ambo errore capti putandi sunt. At Hymenaei error fuit, quod affirmaret, *resurrectionem esse iam factam* [23]).

---

[1]) II Io. 12; III Io. 14. [2]) II Io. 1; III Io. 1. [3]) I Petr. V, 1. [4]) Apoc. I, 9. [5]) Ib. II, 1. [6]) Ib. 4. [7]) Ib. 6. [8]) Act. XIX, 8—10. [9]) Cap. III. n. 13. [10]) Act. XX, 17. [11]) Act. XVIII, 25; XIX, 1—5. [12]) Conf. I Io. II, 19. [13]) Act. XX, 29—31. [14]) Ephes. IV, 2—4. 15. 16. 26. 31. 32; V, 2. [15]) Ib. V, 6—9. [16]) Ib. I, 15. [17]) Op. cit. II Th. § 111. [18]) Op. cit. pp. 434. 438. [19]) I Timoth. I, 3. [20]) Ib. 6. 7. [21]) Conf. I Timoth. I, 3 cum 4, et 6. 7 cum 5. 8. [22]) I Tim. I, 20. [23]) II Tim, II, 17. 18.

Alii quoque errores in ea epistola commemorantur [1], qui ex parte aliquid commune habuisse videntur cum erroribus Nicolaitarum [2], sed adhuc *futuri* praedicuntur [3], neque ii sunt, in quos invehitur Ioannes. *Profanae vocum novitates*, quarum mentio est sub finem epistolae [4], philosophiam Gnosticorum, Valentini, aliorumque id genus prodigiorum sonare fortasse viderentur, nisi aliter illas intelligi posse doceremur quibusdam ipsius Pauli verbis, quae sunt in altera epistola ad Timotheum [5]. In hac autem altera epistola, anno LXVI aut LXVII scripta, iterum Timotheo summatim breviterque suadet Paulus *profana . . . et vaniloquia* [6] vitare, itemque *stultas . . . et sine disciplina quaestiones* [7], sed continuo explicat, quaenam illa sint [8], quinam vero istarum effectus [9]; neutrum porro iis, quae Ioannes refutat, quidquam habet simile, sed neque alia, quae paullo post [10], etsi fusius, tamen tamquam adhuc futura enumerantur; quibus ea quoque sunt adiungenda, quae generatim atque universe in ultimo epistolae capite indicantur [11].

69 Quod si Paulo adhuc superstite perversa illa δόγματα a Ioanne impetita Ephesi obtinuissent, eccuinam credibile fiat Paulum ea, qua urgebatur, sollicitudine *omnium ecclesiarum* [12]) reique christianae adserendae, eo, quo in Christianos ipsos ferebatur, amore, eo denique ingenio, quo erat, efficaci profecto ac vehementi, hunc, inquam Paulum, quum ad ipsos Ephesios, imo ad Ephesiorum episcopum scriberet, de erroribus illis vel siluisse prorsus, vel vix aliquos indicasse? Ergo, quando Paulus, brevi videlicet post alteram epistolam ad Timotheum datam, interemptus est, nondum mala illa Ephesios invasisse, aut saltem nondum inter illos late propagari coepisse, credenda sunt. Hoc autem non paucorum annorum negotium esse oportuit, ut eo res pertingeret, quo pertigisse ostendunt tum scripta ipsa Ioannis, tum huius consilium, ut perniciei latius iam debacchanti evangelio edito occurreret, quod certe consilium levi alicui malo aut paucorum avertendo susceptum fuisse nemo facile opinabitur.

70 Vel ipsi igitur errores, quos Ioannes refutandos suscepit, credere suadent longe post necem Petri et Pauli illius evangelium editum esse.

71 Denique *Antichristi* nomen numquam reperias neque in Actorum libro, neque in epistolis sive Pauli, sive aliorum, praeter epistolas Ioannis. In secunda quidem epistola, quam non multo post primam, anno aerae vulg. XLIX aut primis mensibus anni L, ad Thessalonicenses scripsit Paulus ante alias omnes aliis missas, nominatur *Homo peccati, filius perditionis* [13]), qui utique Antichristus est; adiicitque Paulus se haec eadem, quae tunc de eo scribebat, olim Thessalonicenses viva voce docuisse [14]). Ex his tamen duo colligimus. Primum est, nondum Antichristi nomen fuisse in usu, siquidem, ut hunc designet, longa utitur Paulus descriptione [15]); quum autem vellet in mentem Thessalonicensibus redacere, quae ipsos de Antichristo prius docuerat [16]), quis non videat, nedum utile, necessarium ferme fuisse nomen ipsum usurpare, si iam fuisset in usu? Alterum est, vix quidquam de Antichristo rebusque ab eo gerendis compertum habuisse Thessalonicenses, quum necesse foret, ut Paulus res istas fusius illis enumeraret enarraretque, oblitique viderentur eorum, quae a Paulo de iisdem rebus disserente audierant [17]), crederent denique *instare diem Domini* [18]), quo errore, prout Paulus arguit, numquam fuissent abrepti, nisi destituti notitia rerum ad Antichristum pertinentium [19]). At in epistolis Ioannis ita Antichristi mentio fit, ut cuius notitia neminem fugeret, lateque fama pervagaretur [20]). Imo eo tempore plures huiusmodi iam prorupisse scribit Ioannes: NUNC *Antichristi multi facti sunt* [21]). Qui insuper tales adhibet dicendi modos, ut videatur velle emendare opinionem, quam de illa peste animo fortasse imbiberant ii, ad quos scribebat; id enim, ni fallor, sonare videntur verba illa: *Hic est Antichristus* post diversas huius monstri denominationes repetitas [22]), quasi diceret: Talis est Antichristus, non vero qualem vos esse putatis. Quae quidem omnia indicio sunt haudquaquam tunc primo, sed iam pridem *Antichristi* nomen Christianis innotuisse, nec non ea, quae esset patraturus, passim in hominum sermone versata fuisse, ideoque nisi longe post illa, quae Paulus ad Thessalonicenses scribebat, haec ad Ephesios scribere haud potuisse Ioannem, proinde idem sentiendum esse de tempore, quo is edidit evangelium.

72 Quae quum ita sint, liceat iam ita concludere: vix in dubium revocari posse evangelium Ioannis ab eo sub vitae finem scriptum esse, atque hac ratione confirmari, quod iam aliis argumentis prius confecimus, illud omnium ultimum prodiisse.

---

1) I Tim. IV, 1. 2) Ib. 3. 3) Ib. 1. 4) Ib. VI, 20. 5) II Tim. II, 16 coll. 17. 18. 6) Ib. 7) Ib. 23. 8) Ib. 17. 18. 9) Ib. 23. 24. 10) Ib. III, 1 seqq. 11) Ib. IV, 3. 4. 12) II Cor. XI, 28. 13) II Thess. II, 3. 14) Ib. 5. 15) Ib. 3. 4. 16) Conf. ib. 5. 17) Ib. 18) Ib. 2. 19) Ib. coll. seqq. 20) I Io. II, 18; IV, 3. 21) Ib. 22) Ib. II, 22; IV, 3; II Io. 7.

§ V

Auctoritates.

73 Sed indictam praeterire minime oportet auctoritatem veterum scriptorum, quorum sive patrociniis tuta est sententia, quam defendimus, sive etiam testimoniis comprobatur; maxime quod exstiterint hac aetate, qui vel illa negligenda esse putarent, vel in alium sensum detorquere sint conati. Quum vero quaestionis huius nostrae conclusio efficiatur praecipue ex hoc connexo: Si Ioannes scripsit evangelium, quum exsularet in insula Patmo, illud scripsit procul dubio extrema senectute, ubi inferius iure detrectes concedere, nisi superius tibi probavero, primum quaerendum est, quid veteres memoriae prodiderint de tempore, quo Ioannes exsulavit. Nam, si bibliorum interpretem syrum exceperis, itemque Dorotheum Tyrium τον ψευδωνυμον, Epiphanium, Theophylactum, et Eutychium Alexandrinum, atque octo codices novi testamenti [1]), quorum omnium testimonia infra expendemus, neminem e veteribus reperies, qui Ioannem alio imperatore exsulasse, nisi Domitiano, certo narraverit. Huius ergo rei testes audiamus.

74 Dixit Irenaeus de Antichristo: *Nos tamen non periclitabimur in eo, nec asseverantes pronuntiabimus hoc eum nomen habiturum, scientes, quoniam si oporteret manifeste praeconari nomen eius:* δι᾽ ἐκεινου ἀν ἐῤῥηθη του και την ἀποκαλυψιν ἑωρακοτος. Οὐδε γαρ προ πολλου ἑωραθη, ἀλλα σχεδον ἐπι της ἡμετερας γενεας προς το τελος Δομετιανου ἀρχης, quae sic vertimus: *per ipsum utique dictum fuisset, qui Apocalypsin viderat. Neque enim multo ante tempore visa est, sed pene aetate nostra sub finem imperii Domitiani* [2]). Hoc neminem movere debet, quod Irenaeus exsilium non nominet; nemo enim unquam in dubium revocavit omnisque vetustas certum habuit, exsulem in ea insula, in qua Apocalypsin vidit, Ioannem esse commoratum. Sed neque illud, quod Kuinoelius scripsit [3]), *Irenaeum . . . . facile errare potuisse in constituendo exsilii tempore*, quippe *qui centum fere annis post Domitianum scripsit*; hoc enim est huiusmodi, ut, si quidquam valeret, multa historiae ab priscis scriptoribus sublata diceuda foret. Tum illud tempus ex discipulo Ioannis Polycarpo, cuius auditor fuit [4]), veri omnino simile est didicisse Irenaeum. At enim, inquit, *non necesse est, ut* ἑωραθη *referatur ad* ἀποκαλυψιν *a Ioanne visam, imo verbum* ἑωραθη *non incommode referri potest ad Ioannem ipsum, qui sub finem imperii Domitiani adhuc conspectus fuerit, vel doctoris personam gesserit.* Verum totum id praecepta ipsa artis hermeneuticae plane refutant. Quaenam, sodes, foret haec ratio loquendi, qua edicas, quo tempore quis vixerit, atque is praesertim, qui *fama super aethera notus* ad extremam senectutem pervenerat? vix enim ferenda ea foret, siquis de homine loqueretur, cuius, vel nomen obscurius, vel res gestae minus illustres, vel fama cito interitu abrupta. Ecquis insuper minime sentiat verbo ἑωραθη illud ipsum significari, quod Ioannes ἑωρακοτος dictus proxime fuerat? Ecquis haud perspiciat, postrema haec verba, si horum sensus is esset, qui Kuinoelio cum suis placet, cohaerere nullo pacto posse cum prioribus? Quibus tamen coniungere ea iubet particula γαρ *enim*. Quippe particula haec docet reddi his verbis rationem prioris sententiae, quae ita est: Si eo tempore, quo Irenaeus scribebat, opus fuisset nomen Antichristi notum esse, illud aperte, non autem per quasdam ambages, ut fecit [5]), enuntiasset Ioannes. Cur vero? Audi iam rationem, ut illi explicant: *Neque enim ante multum temporis* Ioannes *visus est.* Ecquid, amabo, ex his extrices? aut quomodo ex hoc efficias illud prius? Atsi pro *visus est* reponas *visa est*, ut dicta haec sint de Apocalypsi, iam tota sententia clarebit. Nomen videlicet Antichristi, ait Irenaeus, reticuit Ioannes, quod sciri id nihil referat, nisi post longas aetates; sique opus foret in praesenti, utique illud tunc Ioannes edixisset, quum Apocalypsin vidit, breve enim temporis spatium *inter visam* ab eo apocalypsin interque aetatem hanc nostram erat intercessurum. Denique, non modo recentiores interpretes sive Irenaei, sive Eusebii, qui hoc caput descripsit [6]), sed et vetus Irenaei interpres et Ruffinus, qui historias Eusebii latinas fecit, ne suspicati quidem sunt verbum ἑωραθη dictum esse de ipso Ioanne, sed ille id vertit *visum est*, ac si dictum esset de nomine antichristi, hic *visa est*, apocalypsis videlicet. Quin etiam Eusebius, ubi narrat Ioannem in Patmum fuisse relegatum a Domitiano, his Irenaei verbis id comprobat [7]).

75 Scriptor martyrii Timothei: *Quum Nerva sceptrum romani imperii accepisset, Ioannes Theologus ab exsilio liber venit Ephesum, unde a Domitiano fuerat relegatus* [8]). Hippolytus:

---

[1]) Op. *Mill.* in fine evang. Io. [2]) Haer. L. III. c. 30. [3]) Proleg. in Io. § 1. [4]) Lege *Iren.* ep. ad Florin. ap. *Euseb.* H. E. L. V. c. 20. [5]) Apoc. XIII, 18. [6]) H. E. Lib. III. c. 18. [7]) H. E. L. III. c. 18. [8]) Ap. *Phot.* Cod. CCLIV.

Ioannes . . . imperante Romae Domitiano in Patmum insulam est deportatus [1]). Missom facio in praesenti libellum De duodecim apostolis Hippolyto attributum, de quo infra. Victorinus Petabionensis: *Intelligi oportet tempus, quo scriptura apocalypsis edita est, quoniam tunc erat Caesar Domitianus, ante illum autem fuerat Titus frater illius, et Vespasianus pater, Galba, Otho, Vitellius. Hi sunt quinque qui ceciderunt* [2]), *unus exstat, sub quo scribitur apocalypsis, Domitianus scilicet* [3]). Prochorus ὁ ψευδωνυμος: *Domitianus Caesar . . . Ioannem . . . iussit . . . in Patmon insulam relegari* [4]). Eusebius: *Domitianus . . . secundus persecutionem in nos concitavit . . . In hac persecutione Ioannes apostolus idem et evangelista . . . in insulam Patmum traditur esse relegatus* [5]). Hieronymus: *Decimoquarto igitur post obitum Neronis anno persecutionem movente Domitiano in insulam Patmon exsilio relegatus apocalypsin conscripsit* [6]). Paolus Orosius: *Domitianus . . . persecutionem in christianos agi secundus a Nerone imperavit. Quo tempore etiam beatissimus Ioannes apostolus in Patmum insulam relegatus fuit. . . . Nerva . . . edicto suo cunctos exules revocavit, unde et Ioannes apostolus hac generali indulgentia liberatus Ephesum rediit* [7]). Prosper: *Secundus post Neronem Domitianus Christianos persequitur, et sub eo apostolus Ioannes in Patmum insulam relegatus apocalypsin vidit* [8]). Ac, ne longum faciam, hoc ipsum narrant Primasius [9]), scriptor Chronici paschalis [10]), Isidorus Hispalensis [11]), Maximus Martyr [12]), Beda [13]), quidam apud Dorotheum Tyrium τον ψευδωνυμον [14]), auctor quaestionum de vetere et novo testamento [15]), scriptor praefatiunculae, quae est ante Augustini Tractatus de evangelio Ioannis, graecus quidam scriptor homiliae de Ioanne [16]), Aretas Caesariensis (79), Alcuinus [17]), Freculfus [18]), scriptor *Catalogi palatinovaticani pontificum et imperatorum* [19]), Ado Viennensis [20]), Hippolytus Thebanus [21]), Bereugandus [22]), Petrus Antiochenus [23]), Petrus Damiani [24]), Anselmus [25]), Cedrenus [26]), Zonaras [27]), Glycas [28]), Rupertus [29]), Georgius Pachymeres [30]), Nicephorus Callistus [31]), sed et alii praeter hos, iique permulti.

76 Qui secus senserit, primus fuit Epiphanius: *Spiritus sanctus Ioannem,* inquit, . . . *ad scribendum evangelium impulit, . . . postquam a Patmo insula reversus est, quod quidem Claudio imperante contigit* [32]). Ubi, velim, obiter animadvertas handquaquam dicere Epiphanium, quod Kuinoelius [33]) ipsi affingit, *Ioannem* GRANDAEVUM, *regnante* CLAUDIO, *de exsilio revocatum, evangelium conscripsisse,* neque enim illa *μετα την αὐτου ἀπο της Πατμου ἐπανοδον την ἐπι Κλαυδιου γενομενην Καισαρος*, ita intelligere necesse est, ac si statim a reditu Ioannes evangelium scripserit, quod omnino vetant haec, quae continuo sequuntur: *και μετα ἱκανα ἐτη του διατριψαι αὐτον ἀπο της Ἀσιας ἀναγκάζεται ἐκθεσθαι το εὐαγγελιον et postea quam multos annos degit in Asia*, a reditu videlicet, *cogitur edere evangelium.* Alio in loco ita scripsit Epiphanius: Ioannem edidisse apocalypsin *imperante Claudio Caesare . . . eum in Patmo insula versaretur* [34]).

77 Sub Traiano Ioannem in Patmo exsulasse aiunt Dorotheus Tyrius [35]), cuius tamen nomine quae feruntur, merito *νοθα* habentur [36]), quidam scriptor olim idem ac Dorotheus Tyrius (75) creditus [37]), qui tamen haec sobiungit: *Sunt autem, qui dicunt eum, non sub Traiano in insulam Pathmon relegatum esse, sed sub Domitiano.* Eutychius Alexandrinus [38]), et quinque codices novi testamenti apud Millium [39]), quorum tamen unus [40]) prodit fidem, quam facere potest, quum in eo legimus Ioannem exsulasse sub Traiano *μετα λβ' χρονους της του χριστου ἀναληψεως post XXXII annos a Christi assumptione*, quum tamen Traianus imperium acceperit anno aerae vulgaris LXXXVIII. Hos vero testes, ut nemo non videt non eos esse, qui vel numero vel auctoritate vincere queant

---

[1]) Ap. *Cedren.* Compend. hist. p. 303. [2]) Conf. Apoc. XVII, 9. 10. [3]) Comment. in apocal. XIII in Biblioth. PP. Lugd. T. III. p. 420 et in *Gallandi* Biblioth. veter. PP. IV. p. 61. [4]) Histor. s. Io. c. 14 in Biblioth. PP. Lugd. T. II. p. 53. [5]) H. E. L. III. cc. 18. 23; Chronic. ad ann. abr. MMCX. [6]) De scriptor. eccles. c. 19; Chronic. ad ann. abr. MMCX. [7]) Hist. L. VII. cc. 10. 11. [8]) Chronic. Traiano IV et Frontone coss. [9]) In Apoc. L. I. Prolog. [10]) Ad ann. XIII Domit. ind. V. [11]) Chronic. aet. VI. [12]) Schol. in *Dionys. Areop.* ep. X. [13]) In Apocal. I. [14]) Synops. de vita ac morte prophetar. et apostolor. in Biblioth. PP. Lugd. T. III. p. 426. [15]) Inter opp. *Augustini* T. III. Append. quaest. 72. [16]) Inter Opp. *Chrysost.* T. VIII. Append. p. 131 ed. *Montfauc.* [17]) Epistol. ante Comment. in Io. [18]) Chron. T. II. L. II. cc. 7. 8. 9. [19]) Ap. *Schelestrati* Antiq. eccl. T. I. Append. n. 23. [20]) Martyrolog. prid. non. mai.; Libell. de festivitatib. VI kal. ianuar.; Chronic. aet. VI. [21]) De duodecim apostolis. Lege *Basnagii* in Hippolyt. Theb. observat. n. IV in Thesauro monumentor. ecclesiastic. et historic. T. III. p. 21. Antuerp. 1725. cf. *Hippol.* ms. Bodl. ap. *Mill.* ant. ev. Io. [22]) In apoc. X. 10 coll. 1, 9. Opp. *Ambros.* T. II. Append. p. 499 ed. *Maurinor.* [23]) Ep. ad Dominic. Gradens. § 22 in *Cotelerii* Monum. eccl. gr. T. II. p. 129. [24]) De s. Io. serm. LXIII. [25]) Prolog. in apocal. [26]) L. c. [27]) Annal. Lib. XI. c. 19. [28]) Annal. L. III. p. 239. [29]) Prolog. in Io. [30]) Paraphr. in *Dionys. Areop.* ep. X. [31]) Hist. L. III. c. 9. [32]) Haer. LI. § 12. [33]) L. c. [34]) Ib. § 33. [35]) De LXX Domini discipulis in append. Chronici Paschal. ed. *Dufresne* p. 435 et ap. *Cave* Script. eccl. [36]) *Cave* ib. [37]) Lege *Baronii* not. ad Martyrolog. rom. die V Iunii. [38]) Annal. p. 349 et ap. *Mill.* in fine ev. Io. [39]) Ib. [40]) Seld. 1.

ceteros superius enumeratos, ita facile quisque intelligit illis fortasse minime adversari. Neque enim hi, si Dorotheum demas, aiunt a Traiano Ioannem aut sub Traiano eiectum fuisse in exsilium, sed scripsisse evangelium, quum exsularet in Patmo, sub Traiano, Traianum autem forte dixere pro Nerva, quo imperium adepto adhuc Ioannes exsulabat, eo decepti, quod Traiano ex adoptione Nerva etiam nomen esset.

78 Superest opinio putantium Ioannem exsulasse, quum imperii summam teneret Nero. Quam opinionem amplexus Kuinoelius auctoritatibus aeque ac rationibus communire adnisus est[1]). Testes, quos produxit, hi sunt. Theophylactus, qui haec ait: Ioannes evangelium *exul in Patmo insula conscripsit triginta duobus post annis a Christo in caelum assumpto*[2]), quo anno Nero Romae imperitabat. Syrus interpres novi testamenti, apud quem initio et in fine libri apocalypseos haec legimus *Revelatio, quae fuit Ioanni evangelistae in insula Patmo, eum in illam iniectus fuisset a Nerone Caesare.* Aretas Caesariensis, *qui; . . . commentarium in apocalypsin conscripsit, eamque ante excidium urbis Iudaeorum a Ioanne literis consignatam esse contendit*, Hippolytus Thebanus, cuius tamen unum dumtaxat nomen retulit Kuinoelius, non vero verba, nec locum indicavit, ubi ea reperire sit. Theophylacto adiungere potuisset codices tres novi testamenti[3]), in quibus eadem ac in illo leguntur.

79 Verum cum primis illud Kuinoelio reponimus, ut horum nemo sit, praeter syrum interpretem, qui aperte dicat Ioannem exsulasse sub Nerone. Tum Theophylactum, idemque dictum puta de tribus illis codicibus, eatenus Kuinoelio adstipulari, quatenus ait Ioannem fuisse in Patmo *triginta duobus post annis a Christo in caelum assumpto.* Quid tamen, si Theophylactus, quem de temporibus definiendis constat non nimis fuisse sollicitum, illud ipsum peccavit, quod alii sive in alia sive in hac ipsa quaestione, interque hos ipsi testes alteri duo a Kuinoelio citati, Aretas et Hippolytus, siquidem hi revera dixerunt, quod Kuinoelius dixisse eos affirmat, peccasse dicendi sunt, ut Domitiani aut etiam Traiani annos imperii in superiora tempora retraheret? Sed hac de re paullo infra. Illud sane mirandum, ut respuat Kuinoelius testimonium Irenai, quippe *qui centum fere annis post Domitianum scripsit*, proinde *facile errare potuerit in constituendo exsilii tempore*, huic vero praeferat accipiatque Theophylacti testimonium, qui scripsit mille post annis. Aretas, si modo illud contendit, num enim faciat, quaerere piget, non tamen Kuinoelio suffragatur, sed solum crassam temporum ignorantiam prae se fert; initio enim commentarii scripserat Ioannem *relegatum in Patmum insulam sub Domitiano* fuisse, et quamquam subiiciat id tradi ab Eusebio, huius tamen testimonium se accipere ostendit[4]). Quae pro verbis Hippolyti Thebani habuit Kuinoelius, ea alia esse nequeunt, quam alicuius fortasse opusculi ἀποσπασμάτιον repertum a Christophoro Pfaffio in quodam codice bibliothecae taurinensis, quod an Hippolyto attribuendum sit, merito dubites[5]); maxime quod nequeas attribuere, quin iniurius forte fias ipsi Hippolyto scriptori χρονικῷ, pugnantia enim eum loquentem induceres, utpute qui in libello de duodecim apostolis scripserit Ioannem *a Domitiano imperatore in Patmum insulam relegatum* (75), in codice autem illo taurinensi legatur *evangelium Ioannis scriptum . . . in Patmo anno post assumptionem tricesimo secundo.* Itaque, si Aretae atque Hippolyti testimonia, quae Kuinoelius attulit, accipere velis, dicas, oportet, peccasse eos in temporibus definiendis, non secus atque illos, qui aiunt Ioannem vel exsulasse sub Traiano anno tricesimo secundo post Christi ad caelum adscensionem (77), vel anno tricesimo item sub Traiano scripsisse evangelium[6]), proinde, sicut et Theophylactus, fortasse peccavit.

80 Sed rationes iam audiamus, quibus Kuinoelius suam sententiam comprobavit, quarum prima haec est. *Ipsa oratio graeca haud polita et compta, imo passim vitiosa, concitatius dicendi genus, imagines, ornatus poeticus, scriptorem minus exercitatum ostendunt, et* IUVENILEM AETATEM *produnt, in qua vis phantasiae acris et vivida esse solet. Quod vero evangelium attinet, oratio graeca cultior et ipsa narrandi ratio satis aperte docent, auctorem iam per longius tempus inter Graecos vixisse, atque in senili aetate hoc opus esse confectum*[7]). Haec ille. At minime animadvertit, ut Ioannes, quum Nero imperium accepit anno aerae vulg. LIV, quadragesimum aetatis annum iam explevisset, ut qui, quum Christus ad caelum rediit, annos haberet minimum viginti. Adde, quod Nero Christianos insectari haud coeperit ante annum aerae vulg. LXIV, quum Ioannes annos quinquaginta iam excesserat procul dubio. Missa facio illa *imagines, ornatus poeticus, vis phantasiae*, quae satis produnt,

---

[1]) L. c. [2]) Proem. Comment. in Io. [3]) Op. *Mill.* l. c. [4]) Cap. 2 in Biblioth. PP. Lugd. T. IX. p. 743. [5]) Opp. *Hippolyti* episc. et Mart. T. I. Append. p. 50 ed. *Fabricii.* [6]) Cod. Copt. Peiresc. ap. *Mill.* l. c.

quid Kuinoelius senserit de afflatu divino, quo Ioannes, quum scriberet apocalypsin, actus fuisse credendus est; neque enim his refellendis locus nunc est. Discrepantiam vero orationis ac stili ut nemo hand prorsus rudis esse non videt inter evangelium et apocalypsin, ita nemo, qui in huiusmodi rebus diiudicandis aliquid sapit, non aliae caussae adscribet, quam aetati scriptoris, qua etiam de re non huius loci est disputare.

81 Alterum Kuinoelii argumentum ita se habet: *Quae apoc. XI in eversione Hierosolymorum evenisse leguntur, in urbis illius eversione non evenerunt, unde vel propterea parum probabile est eversa demum Hierosolyma Ioannem apocalypseos librum scripsisse.* Ex his porro illud efficeretur Ioannem falso ea praenuntiasse, si modo praenuntiare ea voluisse putandus est; hoc enim, quod necesse est ponere, ut conclusio ista efficiatur, Kuinoelius quidem positum, tametsi nullo argumento, habet, nos vero factum negamus, Quid enim? Si ea, *quae apoc. XI in eversione Hierosolymorum evenisse leguntur, in urbis illius eversione non evenerunt*, nonne vel ex hoc uno apparet manifesto, non de Hierosolyma a Tito vastanda Ioannem esse loquutum, sed alia prorsus de re?

82 Tertium denique argumentum depromitur e mentione septem regum, qui sunt in apoc. XVII, 9. *Quinque, scribit ibi auctor, imperio decesserunt, unus adhuc regnat. Sermo est de imperio et civitate Romanorum. Iulius Caesar a scriptoribus romanis annumerari solet imperatoribus. Quod si ergo quinque reges sive imperatores ita numerantur, Iulius Caesar, Augustus, Tiberius, Caligula, Claudius, necesse est, ut per imperatorem tunc temporis ad imperii romani gubernacula sedentem, intelligatur Nero.* Verum, si quid in rem suam ex loco hoc vexatissimo apocalypseos extricare volebat Kuinoelius, longe plura praestare ipsum oportebat, quibus interpretatio haec comprobaretur. Caussa namque erat afferenda, cur septem, non plures, imperatores commemorentur, cur praeter hos atque ab his velati avulsus extraque ordinem octavus inducatur, cur octavus iste dicatur esse ipsa illa bestia, quae in hoc loco describitur, maxime quum Otho, qui ordine octavus fuit imperatorum, innocens paucorumque dierum imperium gesserit, cur aut quomodo priores illi septem veluti totidem illius bestiae, id est, octavi, capita habendi sint. Quae omnia quot et quantis difficultatibus implicent quemque interpretum, discere est tum ex veterum, qui nonnisi pauci supersunt, commentariis de apocalypsi, tum ex recentiorum, sive Catholici hi sint, sive Protestantes [1]), dum alii Romanorum imperatores, alii Iudaeorum reges, alii ipsa diversarum gentium imperia omnis aevi nobilissima, alii septem mundi aetates latere in hoc loco suspicati sunt. Quare, si nobis etiam opinionem nostram aperire daretur, diceremus, multo verius credi regem illum, qui adhuc regnabat, quum Ioannes haec contemplabatur in Patmo, non alium esse, nisi Domitianum. Sententiae meae rationes paucis accipe. *Mulierem sedentem super bestiam* [2]) esse ipsam urbem Romam aut, si malis, Romanorum imperium, apparet ex illis: *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet. . . . Mulier, quam vidisti, est civitas magna, quae habet regnum super reges terrae* [3]), attamen qualis erat Urbs, ex quo primum in Christianos saeviri coeptum est, quum illam dicat Ioannes *mulierem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Iesu* [4]); quumque Nero omnium primus urbem atque imperium sanguine Christianorum infecerit, liquet inter hos reges locum esse non posse iis, qui ante Neronem imperium obtinuere. Bestia est ipse Nero; nam *et bestia . . . . . et ipsa* ὀγδοος OCTAVA *est et de septem est* [5]), septemque regibus Nero accensetur octavus, non ordine, quasi post septem regnaturus, non enim bestia e septem capitibus, sed septem capita ex bestia exsistebant, verum re, quod Nerone septem illis adnumerato fierent octo numero; sicut apud Petrum dicitur Deus ὀγδοον *octavum Noe* custodisse [6]), quia Noe cumque eo septem, *id est octo animae salvae factae sunt* [7]), et in libro secundo Machabaeorum Iudas δεκατος *decimus* in deserta secessisse narratur [8]), cum novem sociis videlicet. Dicitur Nero *de septem* esse, hoc est, ut recte Heinrichs haec explicat, *est ex eadem classe, eiusdem farinae. . . . Eiusmodi sensum exprimi posse particula* ἐκ *larga exemplorum copia comprobatum dedit Vigerus de Idiotismis linguae graecae pag. 580. Occurrit et in novo testamento I Tim. I, 5, et eodem sensu vice versa homines mali Io. VIII, 44 dicuntur* ἐκ του διαβολου *εἶναι* [9]). Cur in ipsa bestia Neronis potius, quam alterius cuiusvis ex imperatoribus, imaginem expressam haberi putemus, optima caussa est, quod ille, quum omnium primus Christianos perdere adortus fuerit, principium ac veluti origo merito habeatur ceterarum cladium Christianis inlatarum ab imperatoribus aliis illud ipsum consilium primo a Nerone initum perficere adnitentibus. Septem reges,

---

[1]) Lege *Heinrichs* N. T. graece perpet. annotat. illustrat. edition. *Kopp.* Vol. X. excurs. V. [2]) Apoc. XVII, 3. [3]) Ib. 9. 18. [4]) Ib. 6. [5]) Ib. 11. [6]) II Petr. II, 5. [7]) I Petr. III, 20. [8]) II Matth. V, 27. [9]) Op. cit. in Ap. XVII, 11.

quos narrat ipse Ioannes septem bestiae capitibus significari, imperiumque, non cunctos simul, sed alium post alium, omnesque post bestiam, *quae erat, et non est* [1]), fuisse obtenturos, esse eos liquet, qui deinceps Neroni in imperium successere, Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Titum, Domitianum, Nervam, de quo, ut qui sedecim non amplius mensibus imperio potitus sit, verissime dictum id esse apparet: *Et, cum venerit, oportet illum breve tempus manere* [2]). Quid vero illa decem cornua? *Et decem cornua, quae vidisti decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt*, futuri igitur erant post illos septem priores, *sed potestatem . . . accipient post bestiam*, nempe illam ipsam potestatem, quam bestia gesserat, quaque in Christianos usa fuerat, quem sensum verba insequentia confirmant. *Hi unum consilium habent, et virtutem, et potestatem suam bestiae tradent, hi cum agno pugnabunt* [3]); praesignificantur igitur decem cornibus decem imperatores, qui consilia et vires suas *bestiae tradent*, id est, ab Nerone susceptum consilium persequi studebunt Christiano nomini perniciem machinati; hi autem fuere Traianus, M. Aurelius, Septimius Severus, Iulius Maximinus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Galerius Maximinus, Licinius. Quum Traianus, cuius imago est in primo e decem cornibus, Nervae successerit, non pluribus opus est, ut caussam intelligas, quam frustra Kuinoelium rogasses, cur reges illi priores, quorum inter bestiam interque decem posteriores reges mentio est, septem, haud plures, fuisse dicantur. Quae quum ita sint, satis procul dubio ea sunt, ut concludamus, si quid ex hoc loco apocalypseos efficere est, non illud Kuinoelii sententiae comprobandae, sed nostrae multo certius conducere.

83 Manent igitur Ioannem Domitiano imperatore in Patmo exsulasse. Quo posito affirmare hoc liquido possum, totius vetustatis testimonio effici, Ioannem non ante exstremam senectutem scripsisse evangelium. Etenim sunt, qui hoc ipsum apertis ac patentibus verbis pronuntiarunt. Eusebius: *Ἰωάννην, φασι ΤΟΝ ΠΑΝΤΑ ΧΡΟΝΟΝ ἈΓΡΑΦΩι κεχρημενον κηρυγματι, ΤΕΛΟΣ και ἐπι την γραφην ἐλθειν* [4]). Ruffinus haec ita vertit: *Ioannem vero tradunt usque ad ultimum pene vitae suae tempus absque ullius scripturae indiciis evangelium praedicasse.* Epiphanius: *Cogit spiritus sanctus . . . Ioannem εὐαγγελισασθαι evangelizare, cum iam senex esset, post exactos nonaginta annos vitae, . . . post reversionem ipsius a Patmo, . . . ac, ubi multos annos in Asia egisset, cogitur ἐκθεσθαι το εὐαγγελιον exponere evangelium* (76). Freculfus: *Ioannes . . . recessit Ephesum, occiso Domitiano, et usque ad ultimum pene vitae suae tempus absque ullius scripturae indiciis evangelium praedicasse dicitur, tum ibique evangelium novissimus edidit* (75). Rabanus Eusebii verba a Ruffino versa et ipse transcripsit [5]). Scriptor ἀνωνυμος in Catena Corderii [6]): *Ioannes . . . quum senex omnino esset . . . dictavit evangelium.* Suidas, qui ait scripsisse Ioannem evangelium, *quando ab exsilio in Patmo reversus est, quum esset centum annorum* [7]). Nicetas Paphlago: *Ioannes . . . cum . . . annis iam multis Asiam omnem omnemque Orientem Christi cognitione imbueret, . . . ad haec etiam in insulam Patmum ab iniquis principibus exsilio relegatus esset, quod vir beatissimus coarctari se videret, ac in proximo esse, ut ad Dominum ingrederetur, . . . incitatur . . . ad conscribendum sanctum evangelium* [8]). Tantumdem dicunt, qui aiunt hoc evangelium scriptum a Ioanne vel *multis annis post capta Hierosolyma*, quod affirmat Euthymius [9]), vel quum exsularet in Patmo sub Domitiano, sicut scripserant (75) Hippolytus episcopus et martyr, Hippolytus Thebanus, Rupertus, Petrus Antiochenus, Nicephorus Callistus. Item, qui solum aiunt id factum sub Domitiano, sicut legitur in vetusta quadam stichometria [10]), quique, quum narraverint Ioannem exsulasse sub Domitiano, evangelium ab eo scriptum aiunt fuisse post apocalypsin, sicut aiunt Beda [11]) et Anselmus (75), aut post exsilium, ut (75) scriptor Martyrii sancti Timothei, nisi tamen is loquitur de eo tempore, quo Ioannes exsulabat, Victorinus Petabionensis, Prochorus ὁ ψευδωνυμος, Primasius, Isidorus Hispalensis, scriptor Quaestionum de vetere et novo testamento, auctor praefatiunculae, quae legitur ante Tractatus Augustini de evangelio Ioannis, scriptor cuiusdam homiliae de Ioanne evangelista, quae est inter opera Chrysostomi, Alcuinus, scriptor *Catalogi palatinovaticani pontificum et imperatorum*, Ado Viennensis, Berengaudus, Petrus Damianus. Multo autem magis, qui hoc evangelium scriptum dixere sub Traiano (77), Dorotheus inquam, Eutychius, auctor chronici orientalis editi ab Abrahamo Echellensi, copticus novi testamenti codex Peirescii, et quinque codices graeci apud Millium. Minimi vero putandi sunt contra dicere sive Dionysius Areopagita, sive Rupertus, quum ille in epistola, quam

---

1) Ap. XVII, 8. 11. 2) Ib. 10. 3) Ib. 12—14. 4) H. E. L. III. c. 24. 5) In Matth. L. II init. 6) Caten. in Io. ed. *Corderii* et ap. *Mill.* ante evang. Io. 7) Lexic. 8) Or. VI in Biblioth. PP. Lugd. T. XXVII. p. 396. 9) Comment. in IV evang. in Biblioth. PP. Lugd. T. XIX. p. 663 et in Ms. Barocc. ap. *Mill.* in fine ev. Io. 10) Ap. *Mill.* l. c. 11) Prolog. Comment. in Io.

scripsit ad Ioannem in Patmo exsulantem, hunc vocat *solem evangelii* [1]), alter his verbis apocalypseos: *Qui testimonium perhibuit verbo Dei et testimonium Iesu Christi, quaecumque vidit* [2]), ait significari evangelium ipsum Ioannis, quorum idcirco sententia fuisse videtur evangelium ante apocalypsin esse conscriptum, etsi enim factum id ante apocalypsin his testimoniis conficeretur, non tamen ante exsilium, neo satis caussa in verbis Dionysii, cur illa appellatione librum ipsum designari credamus, potius quam *το κηρυγμα*, ex ipso autem illo capite Ruperti apparet putasse eum a Ioanne exaratum fuisse evangelium, quum esset in Patmo. De illis autem, qui aiunt evangelium prodiisse anno XXXII, vel XXXI, aut XXX, post Christi reditum in caelum, quodnam indicium sit, superius dictum est (79). Superest igitur, qui nobis certo adversatur, unus interpres arabs novi testamenti editus a Thoma Erpenio; namque apud illum haec leguntur post evangelium Ioannis: *Finitum est evangelium Ioannis . . . scriptum illud graece . . . post adscensionem Domini nostri in caelum corpore anno tricesimo, regnante Nerone imperatore Romanorum*; verum si ad numerum spectes, si ad vetustatem, si ad auctoritatem testium, quos produximus, nihil est, quod te moveant dicta scriptoris huius.

84 Etsi ea, quae inter veteres est, sententiarum discrepantia, utrum exsul in Patmo, an Ephesi post exsilium, Ioannes evangelium composuerit, minime obstet, quominus concludamus patres omni aetate pro certo habuisse, hoc opus a Ioanne, qui diutissime senex fuit, postremis vitae annis confectum, quum tamen affirmaverimus (67) evangelium una cum prima epistola a Ioanne in Patmo exsulante Ephesum missum esse, restat quaerere, an opinio haec nostra satis de numero patrum adstipulatores invenire queat, quorum auctoritate commendatam cuivis eam probaturi simus.

85 Qui Ioannem Ephesi hunc librum composuisse, sive aperte, sive tacite affirmarunt, sunt illi duodecim aut tredecim, qui aiunt id factum, postquam Ioannes ab exsilio reversus est, hisque etiam Beda videtur adnumerandus (83). In Catena Victoris Capuani [3]) haec legimus: *Ioannes autem ad Ephesum constitutus a caussa nostrae redemptionis evangelii sumpsit exordium*, quae Victor pro verbis Polycarpi nobis exhibuit. Sed, praeter quam quod graeca Polycarpi haud habemus, e quibus verum horum verborum sensum colligamus, Ioannes, tametsi in Patmo exsularet, dici utique poterat, *ad Ephesum constitutus*, tum quia Patmos haud longe posita Epheso, tum quia Ephesi sedem is habebat. Quod Ephesi hoc evangelium fuerit exaratum, id in nullo codicum Millii legere est, apud Griesbachium tamen [4]) inter codicum subscriptiones una ita habet: *Το κατα Ἰωαννην ἁγιον εὐαγγελιον ἐγραφη ἑλληνιστι εἰς Ἐφεσον*; tamen, an illud *εἰς Ἐφεσον* tantumdem valeat ac *ἐν Ἐφεσῳ*, quamquam scriptoribus novi testamenti is usus particulae *εἰς* incompertus haud fuerit [5]), graecis tamen literis eruditi, arbitror, apprime dubitabunt, neque aliud fortasse significat, quam evangelium missum *ad* Ephesum, aut scriptum quum Ioannes esset *apud* illam urbem, id est, quum a Palaestina illuc iam transmigraverat, inque ea sedem sibi posuerat, tametsi, quum scribebat, non illic, sed alibi haud longe abesset.

86 Qui vero narrant evangelium hoc conscriptum in Patmo, hi sunt. Primus Dionysius Areopagita, si modo appellatio illa, qua Ioannem vocat *solem evangelii*, a libro edito, non autem *ἀπο του κηρυγματος*, originem ducit, neque enim, si Ioannes, quum exsul in Patmo Dionysii epistolam accepit, iam scripserat evangelium, ideo alibi scripsisse credendus est, quam in hac insula, nec quisquam veterum praeter arabem interpretem evangeliorum erpenianum, id ante exsilium a Ioanne factum fuisse putavit. Alter fortasse est scriptor Martyrii sancti Timothei, de quo iam loquuti sumus (83). Tertius Hippolytus episcopus et martyr, qui haec scripsit: *Ιωαννης . . . κηρυσσων ἐν τῃ Ἀσιᾳ τον λογον ἐξωρισθη ἐν Πατμῳ τῃ νησῳ ἐπι Δομετιανου του βασιλεως Ῥωμαιων, κἀκειθεν παλιν εἰς Ἐφεσον ἐκ της ἐξοριας ἀνακληθεις ὑπο Νερουα, και το κατ᾽ αὐτον εὐαγγελιον συγγραψαμενος, ἐνθα και την ἀποκαλυψιν θεασαμενος, ἐτελευτησεν ἐτων ἑκατον ἑξ*, quae ita vertimus: *Ioannes . . . praedicans in Asia verbum exsulavit in Patmo insula sub Domitiano imperatore Romanorum, et inde rursus Ephesum ex exsilio revocatus sub Nerva, quum et evangelium suum conscripsisset tum et apocalypsin vidisset, mortuus est quum esset annorum centum et sex* (75); neque enim quis, eo quod Hippolytus visae a Ioanne apocalypseos meminerit post huius reditum Ephesum, suspicabitur eum dicere voluisse, apocalypsin a Ioanne conspectam Ephesi, proinde, quum evangelii scriptionem simulque illam visionem ita commemorat, ut ex ipsa vi ipsaque constructione verborum

---

[1]) Ep. X. [2]) Apoc. I, 2. [3]) Op. *Feuardent.* not. ad *Iren.* L. III. c. 3. [4]) In fine evang. Io. [5]) Marc. II, 1; Luc. XI, 7; Io. I, 18.

appareat sensum non alium esse posse, quam evangelium scriptum ante apocalypsin, consequens utique est Hippolytum iis esse adnumerandum, qui evangelium in Patmo compositum fuisse credunt. Post deinceps idem hoc affirmant scriptor Synopseos, quae est inter opera Athanasii, auctor Operis imperfecti de evangelio Matthaei [1]), Dorotheus (75), Hippolytus Thebanus (75), vetus scriptor, cuius operum reliquias in codice bibliothecae taurinensis superstites alio loco (79) commemoravimus, octo codices novi testamenti apud Millium [2]), Eutychius [3]), Nicetas Paphlago (83), Petrus Antiochenus (75), Theophylactus (78), Rupertus (83), Nicephorus Callistus (75).

87 Quos igitur certo constat dixisse hoc evangelium Ephesi conscriptum, tredecim veluti testes produci possunt, quos vero in Patmo insula, viginti. Neque enim prioribus illis assentire dicendi sunt syrus persaque interpretes evangeliorum, non enim aiunt evangelium *scriptum* Ephesi, sed *dictum* et promulgatum, illeque ante evangelium haec adnotata habet: *Evangelium sanctum, praeconium Ioannis praeconis, quod* DIXIT *et* PRAECONATUS EST *graece in Epheso*, post evangelium vero: *absolutum est evangelium sanctum, praeconium Ioannis evangelistae, quod* DIXIT *graece in Epheso, liber* evangelii videlicet *descripta* continet ea, quae *viva voce* Ioannes *praedicaverat* in Epheso; alter huic evangelio haec praescripsit: *In urbe Epheso lingua graeca romana dictum est*; aliud quippe est *dicere* et *praeconari*, aliud *scribere*. Sed neque Anselmus, quum ait, Ioannem exsulem in Patmo sub Domitiano scripsisse apocalypsin [4]), antequam scriberet evangelium [5]); potuit enim Ioannes evangelium post apocalypsin scribere, quum adhuc in Patmo commoraretur. Neque arabs evangeliorum interpres editus ab Erpenio; non enim ait evangelium scriptum Ephesi, sed *populo Ephesi*, quod verissime dictum esse existimamus. Non denique illi, qui dixerunt evangelium hoc Ephesi ἐκδοθηναι, sicut Irenaeus, *Ioannes . . .*, inquit, *et ipse ἐξεδωκε edidit evangelium; Ephesi Asiae διατριβων degens* [6]), nec secus vetus stichometria iam a me commemorata (83), codex evangeliorum copticus apud Millium [7]), et arabs scriptor libelli de vitis evangelistarum [8]), quod enim Ioannes *scripserat* in Patmo, id Ephesi *editum* et publicatum est, huncque sensum aperte expresserunt Pseudoathanasius in Synopsi hisce verbis: *Evangelium . . .* ὑπηγορευθη DICTATUM EST *ab ipso sancto Ioanne, . . . quum exsul esset in Patmo, et ab ipso* ἐξεδοθη EDITUM EST *Ephesi per Gaium amicum et hospitem apostolorum*, hisque Dorotheus (75): *Ioannes . . . exsulavit in insula Patmo, . . .* ἐκει δε ὠν *quum autem ibi esset, et sanctum evangelium* ἐγραψε SCRIPSIT, *et* ἐξεδωκεν EDIDIT *Ephesi per Gaium hospitem et ministrum* [9]), his denique scriptor cuiusdam codicis novi testamenti apud Millium [10]): *Συνεγραφη conscriptum est ab ipso Ioanne,* ὁτε ἠν ἐν ἐξορια ἐν Πατμῳ τῃ νησῳ *quum erat in exsilio in Patmo insula . . . et* ἐξεδοθη ἐν Ἐφεσῳ *editum est in Epheso.*

87 Veterum igitur auctoritas eo nos ducit, ut in Patmo potius quam Ephesi hoc evangelium scriptum credamus, comprobatque, quod efficimus ex comparatis inter se evangelio et epistolis Ioannis. Hoc ipsum credere suadent illa verba apocalypseos dicta de ipso Ioanne *qui testimonium perhibuit verbo Dei et testimonium Iesu Christi, quaecumque vidit* [11]), quae ad evangelium spectare Rupertus (83) vere affirmavit, idque ipsum ostendunt illa horum similia, quae in evangelio leguntur [12]). Quod si *την μαρτυριαν Ἰησου Χριστου* in hoc loco apocalypseos commemoratam censeas potius nil esse aliud nisi poenam exsilii, quam tunc Ioannes perferebat, ut ipse loquitur, *δια τον λογον του Θεου και την μαρτυριαν Ἰησου propter verbum Dei et testimonium Iesu* [13]), haud integrum tibi erit aliter interpretari similes illas loquutiones a Ioanne in evangelio usurpatas, sed concludas, necesse erit, ex his loquutionibus effici, etiam evangelium scriptum fuisse a Ioanne, quum in Patmo insula exsularet.

---

1) Hom. I. 2) L. c. 3) Ib. 4) Prolog. in apocal. 5) In apocal. I, 2. 6) Haer. L. III. c. 1. 7) L. c. 8) Ib. 9) Ante comment. *Theophylacti* in Io. Venetiis 1754. 10) L. c. Seld. 1. 11) Apoc. I, 2. 12) Io. XIX, 35; XXI, 24. 13) Apoc. I, 9.

INDEX.

Pag.

Proemium 1

Caput I De evangelio Matthaei 1
Quaestio I De Matthaeo. An idem sit ac Levi 2
Quaestio II An Matthaeus auctor sit evangelii eius nomine inscripti 4
Quaestio III Quando Matthaeus scripserit 5
Quaestio IV Quorsum et quibus scripserit Matthaeus 6
§ I De Matthaei consilio 7
§ II Quibusnam Matthaeus scripserit 8
Quaestio V Qua lingua scripserit Matthaeus 9
§ I Efficitur Matthaeum syrochaldaice scripsisse 9
§ II Testimonia patrum adseruntur 11
§ III De ipso syrochaldaico huius evangelii exemplari 14
§ IV De insitis, quae esse dicuntur Matthaei evangelio, graecae originis indiciis 14
§ V De lingua graeca aetate Matthaei Iudaeis usitata 17
Quaestio VI Utrum ex hebraicis, an ex graecis codicibus Matthaeus exscripserit prisca oracula, quae retulit in evangelium 22
Quaestio VII Num evangelia Hebraeorum, Nazaraeorum, Ebionitarum, sint ipsum Matthaei evangelium syrochaldaicum 24
§ I De Nazaraeis 24
§ II De evangelio Hebraeorum 27
Quaestio VIII An prima duo capita evangelii Matthaeo sint abiudicanda 29

Caput II De evangelio Marci 33
Quaestio I De ipso Marco 33
Quaestio II Quando scripserit Marcus 36
Quaestio III Quibus hoc evangelium scriptum fuerit 51
Quaestio IV Quo auctore scripserit Marcus 55
Quaestio V Quo consilio ductus fuerit Marcus in scribendo 59

Caput III De evangelio Lucae 62
Quaestio I De ipso Luca 62
Quaestio II Quando scripserit Lucas 64
Quaestio III Cuiusnam aut quorum usui hoc evangelium fuerit destinatum 72
Quaestio IV Quibus auctoribus scripserit Lucas 79
Quaestio V Quo consilio hoc opus Lucas adgressus fuerit 81

Caput IV De evangelio Ioannis 92
Quaestio I De auctore huius evangelii 92
Quaestio II De huius evangelii auctoritate 95
Quaestio III Quorsum hoc evangelium conscriptum 95
Quaestio IV An hoc evangelium post cetera scriptum fuerit 98
Quaestio V Quo tempore in lucem prodierit hic liber 102
§ I Evangelio ipsi aetatis suae indicia insunt 102
§ II Eadem evangelio atque epistolis Ioannis aetas est 105
§ III Epistolas extrema senectute a Ioanne scriptae sunt 109
§ IV Argumenta alia, quibus evangelii aetas demonstratur 110
§ V Auctoritates 112

LIBRI PRIMI EMENDATIONES.

Pag.	Num.	Lin.	
7	22	8	Christus videatur
„	23	8	ἐλεγκτικον
„	26	5	ἐλεγκτικον
9	31	6	loquebatur, ac apostoli loquentem
23	85	15	Imo et apud Ioannem, etsi verba
30	106	7	νενοθευμενον
36	15	5	εὐαγγελιζομενον
50	47	19	prohibuerit
„	„	36	effluxerat
51	„	8	tempus longe brevius
„	50	3	aliique (2. 3)
53	53	6	Marc. XIV, 27
„	54	5	Marc. XI, 31. 32
„	57	3	quod quum ad verbum
55	61	3	diffitebitur
58	63	8	eam omisit
63	3	7	ita, ut fecit, ac si longo
67	19	11	ereptus
68	20	14	Felicem
76	44	6	loquentium verba
83	67	7	ceterae
84	71	32	orationibus ac sermonibus
86	„	3	eaque
89	74	44.45	XIV, 22—33
„	„	47	Marc. III. 21; XVI, 20. Insuper
91	79	3	quae apostolos
93	2	15	quaedam ab eo aut secretiora
„	„	18	nominant, ideo faciunt, quia
96	13	13	ὄχλοι
100	27	25	post illam
103	36	12	quas narrat
104	43	3	atque ephesinae
105	44	7	tandem coepisse
106	50	4	in evangelio
107	56	11	*vos* [10]); ecquis non videat ea referri
108	57	9	sibi finxisse
„	61	1	designet, cur modo
110	68	16	solummodo horum
112	74	18	cito interitu
113	75	20	Berengaudus
114	79	25	proinde sicut Theophylactus quoque fortasse peccavit.
116	83	4	κεχορημενον
„	„	29	Berengaudus
117	„	8	quodnam iudicium

IN TABULIS

Titulus Tabularum linearum numero comprehenditur.

Pag.	Tab.	Lin.	Col.	
60	2	12	3. 4	SCRIBE INFRA *et cetera*
75	1	2	4	IX, 38—40
76	1	14	3	XIII, 8
86	unic.	2	1	III, 16
87	2	17	3	XXIII, 22
„	„	„	4	XXVII. 23
„	„	23	„	XXVIII, 5—8.
89	unic.	15	3	VI, 12. 13
„	„	21	„	„ „ 7
„	„	27	2	XXI, 33
90	1.2	1	1.3	OMISSA A LUCA
„	„	„	2.4	SIMILIA MATTHAEI
„	1	16	4	XIX, 12—27

IN NOTIS

Pag.	Lin.	Not.	
49	3	11	Ib. XIII, 2 coll. XII, 3.
50	5	15	Conf. Luc. XXII, 7.
„	„	16	Act. XI. 18.
52	2	4	Praef. Comment. in Matth.
54	1	1	IV, 13—16 coll.
55	1	2	c. 5.
62	5	11	In Is.
63	9	27	Ib. IV, 40.
71	2	6	ad Paulin. ep. LIII
„	4	14	Act. XX, 2. 3
80	1	5	Io. I
93	3	8	Marc. XIV, 33.
94	4	12	ἐστι
98	11	16	V, 1. 21.
99	1	4	Matth. III
103	2	6	Luc. IV
106	10	14	XV, 8; XVI, 30; XVIII, 37;
„	13	18	coll. I Io.
„	14	20	Io. III, 17 et IV, 42 et XII. 47
„	17	26	Io. XIV. 26 et XV, 26 et XVI, 7
„	22	29	Io. XVII, 16 coll. I Io.
„	25	31	Io. XIV, 15. 23 coll. I Io. II, 3. 5 et III, 24; Io. XIV, 24 coll. I Io. II, 4; Io. XV, 10 coll. I Io. II, 6 et III, 24; Io. XV
113	3	5	Chronic.
„	8	19	*Schelestrate*
„	14	34	L. c. § 33.
114	1	3	Ap. *Mill.*
117	1	3	Ap. *Feuardent.*

Cetera, eaque quamplurima, sed quae quisque per se ipse queat emendare, typothetae opus longinque ab auctore facienti lectores faciles bonique condonabunt.